



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Tilman||ni Smelingi Segeber=||gensis de VII.
Sacramentis Liber I. in || VII. capita iuxta numerum
sacramen||torum digestus, quorum assertionem,||
defensionemq[ue] aduersus hæreticos con||tinet, ...**

Smelingus, Tilmannus

Coloniæ, 1538

VD16 S 6802

De Sacramento eucharistiae, siue corporis Christi. Caput V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30214

mus pontifex liberare posset animas e purgatorio, posset omnes liberare & purgatorium euacuare, quod nos non dicimus. Est adhuc alius modus, per quem summus pontifex indulgentiarum defunctos in purgatorio facit participes, qui fit nō per modum absolutionis, sed suffragij in remissionem pœnarum suarum. Aliud est enim absolvere animas, aliud dispensare thesaurum Christi & sanctorum pro illis, vt per modum orationis & suffragij Christi sanctorumque merita illis prosint, & a pœna liberentur. Quod quidem quum facit summus pontifex, non excedit fines iurisdictionis suæ, quia non absoluit animas subtus terram. Sed hic finem faciemus tractandi de indulgentijs, quas vniuersa ecclesia recipit & credit, quæ approbatæ sunt per concilia generalia ecclesiam repræsentantia, quibus merito fides adhibenda est. Nam sacrum concilium Lateranense, sub INNOCENTIO tertio approbavit indulgentias, cuius concilij decreta & Innocentius quartus quantum ad indulgentias spectant, palam approbavit.

DE SACRAMENTO
eucharistiæ, siue corporis Christi. Caput V.



QVIA hæretici tam missam, quam venerabile sacramentum corporis CHRISTI, ostentui habent, stat sententia & missam & eucharistiam si-

Math. 26.
 Marc. 14.
 Luca. 22.
 2. Cori. 11.

mul contra improbas pseudo Christianorum calumnias defendere. Missa igitur duabus constat partibus, quarum alteram habemus a Christo, alteram ab ecclesia. Quid CHRISTVS in missa tradiderit, docent tres euangelistae & apostolus Paulus. Nam quum patri gratias e-gisset, benedixit panem & vinum. Deinde mutauit panem in corpus & vinum in sanguinem suum, porrexitque discipulis suis sub specie panis & vini, dicens: Accipite, hoc est corpus meum. Item: Hic est calix sanguinis mei noui testamenti, deinde praecipit, vt hoc quod fecisset ipse, in sui memoriam facerent. Habemus itaque a CHRISTO eucharistiae consecrationem, communionem, & oblationem. Caetera quae in celebratione missae obseruantur, hoc est, omnia ea quae benedictionem panis & vini vel praecedunt vel sequuntur, ab ecclesia sunt instituta, quae spiritus sancti magisterio edocta, verbis CHRISTI permulta addidit ad representandam CHRISTI passionem, resurrectionem & ascensionem, & ad excitandam vulgi erga tantum sacramentum venerationem ac reuerentiam. Et quia missa partim instituta est a CHRISTO, partim ab ecclesia: primum ea quae a Christo habet, expendamus oportet. Diximus autem CHRISTVM primum consecrasse ac benedixisse panem & vinum & in corpus suum & sanguinem mutasse. Ex quo discimus, quod virtute verborum consecratio-

nis, quæ a sacerdote proferuntur, super debitam eucharistiæ materiam, quam constat esse panem triticeum & vinum, transsubstantiatur siue mutatur panis in corpus CHRISTI, & vinum eius in sanguinem, ita ut nihil panis remaneat aut vini post consecrationem, sed tantum species, sub quibus continetur corpus CHRISTI, non ut in signo aut figura tantum, sed ut re ipsa sit ibi verum CHRISTI corpus & sanguis. Quod verum esse probabimus ex ipsius sacramenti ratione, atque adeo euangelij ipsius verbis. Nam ut receptissimis theologis placet, verba consecrationis huius sacramenti id reuera efficiunt quod significant, nisi impedimento sibiipsis sint, qui suscipiunt: sicut & in cæteris sacramentis euenire solet. Verba autem consecrationis huius sacramenti significant atque prorsus insinuant, verum CHRISTI corpus & sanguinem in ipso contineri, si euangelio credimus.

MATTHAEVS enim capite vigesimo sexto huius sacramenti institutionem describens ait: Cœnantibus autem eis accipit IESVS panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. Et accipiens calicem gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc oēs. Hic est enim sanguis meus noui testamēti, pro multis effūdet in remissionē

peccatorum. Idem quoque atq; adeo eiusdem
ferme verbis dicunt Marcus & Lucas, Pau-
lus vas electionis, qui euangelium suum non
didicit per hominem aut ab hominibus, sed per
reuelationem Iesu Christi, institutionem huius
sacramenti enarrans, hunc in modum Corin-
thiis scribit: Ego accepi a domino quod & tra-
didi vobis, quoniam dominus Iesus in qua no-
ste tradebatur, accepit panem, & gratias agēs
fregit & dixit: Accipite & manducate. Hoc
est corpus meū, quod pro vobis tradetur. Hoc
facite in meam commemorationem, Similiter
& calicem postquam cœnauit, dicens: Hic ca-
lix nouum testamentum est in meo sanguine.
Locus in procinctu est Ex quibus inclare scit,
in eucharistia verum Christi corpus & sangui-
nem contineri, Quod quidē licet sensu aut rati-
one naturali deprehendi nequeat, fide tamen in-
conculsa credendum est. Stultam fecit hic deus
humanam sapientiam, & ideo captiuare oportet
intellectum in obsequium Christi, quia ani-
malis homo non percipit quæ sunt spiritus dei
stultitia enim est illi, & non potest intelligere.
Quia ergo deus lucem habitat inaccessibleem
ne in tenebras incidamus inextricabiles, cogi-
temus ea quæ fidei sunt, nostris opinionibus mi-
nime esse subiecta, nec plus sapiamus quam
oportet, scientes esse scriptum: Altiora te ne q̄
sieris, & fortiora te ne scrutatus fueris. sed quæ
præcepit tibi deus, illa cogita semper, & in plu-
ribus operibus eius ne fueris curiosus. Non enim
est tibi necessarium, ea quæ abscondita sunt vi-
dere oculis tuis. Plurima enim super sensum

Galat. 1.
& Cor. 11.

1. Cor. 1.
2. Cor. 10.
1. Cor. 2.
1. Tim. 6.

Rom. 21.
Ecli. 1.

hominum ostensa sunt tibi. Et iterum per Sapi-
entē dicitur: Sicut q̄ mel multū comedit, nō est
ei bonum: sic qui scrutator est maiestatis, op-
primetur a gloria. Veritas, inquit Lactantius,
id est, arcanum summi dei qui fecit omnia,
ingenio ac proprijs nō potest sensibus comprē-
hendi, alio q̄ nihil inter deum hoīemq̄ distaret,
si cōsilia & dispositiones illius maiestatis æter-
næ, cogitatio assequeretur humana. Vnde hoc
sacramentum, fidei sacramentum dicitur, de
quo Cyrillus super illud Lucae, hoc est corpus
meum, quod pro vobis traderetur, dicit: Non du-
bites an hoc verum sit, sed potius suscipe ver-
ba saluatoris in fide. Quum enim sit veritas,
non mentitur. Quare erroneum est & hæreticū
asserere, corpus Christi in hoc sacramēto haud
secus ac in signo contineri. Cuius hæreseos pri-
mus autor fuit Berengarius, sancti Mauricij
Andenagēsis ecclesie diaconus: quam Romæ
coram Nicolao papa & tredecim archiepisco-
pis reuocauit & abiurauit, fideique veritatem
confessus est, vt habes in decret. ca. ego Beren-
garius de conse, dist. 2. Hanc tanto tempore ex-
tinctam ac sepultā hæresim, resuscitarunt, Ca-
rolostadius, Oecolampadius, & Zuuinglius
cum cæteris satellitibus diaboli. Dixi autē ni-
hil panis aut vini post consecrationem relictū
iri, propter Lutherum, qui in Babylonica sua
(qua diaboli laqueis vinc̄to detinetur) captiui-
tate, negans transubstantiationis fidem, contē-
dit simul cum corpore & sanguine Christi sub-
stantiam quoq̄ remanere panis & vini, eo q̄
scriptum sit, accepit Iesus panem, non consi-

Prou. 25.

Lactā. lib.
2. diut. in-
sti. ca. 2.Cyrillus.
Luc. 22.

Iohan. 214

Berenga.

derans quod adiecit, & benedixit ac fregit, de
ditque discipulis suis dicens, hoc est corpus me
um: quod verum non esset, si panis substantia
ibi remaneret. Panem ergo in corpus suum cō
uersum dedit discipulis suis. Alioqui non dixisset,
hoc, qui articulus ad corpus refertur, sed
hic, hoc est, panis, siue in hoc pane est corpus
meum. Pari modo in consecratione vini nō dixisset,
hic est sanguis meus, sed hoc, id est vinū.
Pugnat itaque hoc Lutheri dogma manifeste cū
verbis Christi, quæ detorquet & more hæreticoꝝ
trahit ad sensum repugnantē. Hinc Innocentius
tertius ext. de sum. tri. & fide catho. ca. Firmiter, ait: Vna est fidelium vniuersalis
ecclesia, extra quam nullus omnino saluatur,
in qua idem ipse est sacerdos & sacrificium
Iesus Christus, cuius corpus & sanguis in sa
cramento altaris sub speciebus panis & vini
veraciter continentur, transsubstantiatis pane
in corpus & vino in sanguinem virtute diuina
vt ad perficiendum mysterium vnitatis accipi
amus ipsi de suo, quod accepit ipse ne nostro.

Innocentius
tertius.

¶ Huius autē trāsubstantiationis vocabu
lum, etsi ex decretali allegata intra trecētos an
nos sit natum, vt interim hoc Luthero largiamur:
transsubstantiatio tamē ipsa annis abhinc
plus mille quingētis a CHRISTO tradita est
quam diuus Ambrosius libro de sacramentis
multis probat rationibus e sacra scriptura pe
titis: Forte, inquit, dicas, aliud video, quomo
doru mihi asseris quod CHRISTI corpus
accipiam? Et hoc adhuc nobis superest, vt
probemus. Quantis igitur vtimur exemplis

De cō. dist
2. c. Reue.

vt probemus hoc non esse, quod natura forma
 uit, sed quod benedictio consecrauit, maiorem
 que esse vim benedictionis quam naturæ, quia **Exod. 4.**
 benedictione & natura ipsa mutatur. Virgam
 tenebat Moses, & proiecit eam, & facta est ser
 pens, rursus apprehendit caudam serpentis, &
 in virgæ naturam reuertitur. Vides ergo pro
 phetica gratia bis mutatam esse naturam, &
 serpentis & virgæ. Currebant Aegypti flumi
 na puro meatu aquarum, subito de fontium venis **Exod. 14.**
 sanguis cœpiterumpere, non erat potus in flu
 uijs. Rursus ad prophetæ preces, cruor cessauit **Iosu. 4.**
 fluminum, aquarum natura remeauit. **Num. 20.**
 Et enumeratis pluribus alijs miraculis, quæ fidem hu
 ius transubstantiationis confirmant, infert:
 Aduertimus igitur maioris potētis esse dei gra
 tiam quam naturam, & adhuc tamē ante, pro
 pheticæ benedictionis numeramus gratiam.
 Quod si tantum valuit humana benedictio vt
 naturam conuerteret, quid dicemus de ipsa con
 secratione diuina, vbi ipsa verba domini sal
 uatoris operantur? Nam sacramentum istud
 quod accipis, CHRISTI sermone conficitur.
 Quod si tantum valuit sermo Eliæ, vt ignem **4. Reg. 5.**
 de coelo deponeret, nō valebit CHRISTI ser
 mo, vt species elementorum mutet? De toti
 us mundi operibus legisti, quia ipse dixit, & fa
 cta sunt, ipse mandauit & creata sunt. **Psal. 148.**
 Sermo igitur Christi, qui potuit ex nihilo facere, quod
 non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare
 quod non erat? Non enim minus est dare, quā
 mutare nouas naturas rebus. Sed quid argumē
 tis vtimur? Suis vtamur exemplis. Incarna-

tionis astruimus mysterij veritatem. Nunquid naturæ vsus præsensit, quum dominus Iesus ex Maria nasceretur? Si ordinē querimus, viro mixtā fœmina generare consueuerat. Licet igitur, quod præter naturæ ordinem virgo generauit, & hoc quod conficimus corpus ex virgine est. Quid hic quæris naturæ ordinem in Christi corpore, quum præter naturam sit ipse dominus Iesus partus ex virgine? Vere utiq; caro Christi, quæ crucifixa est, quæ sepulta est: vere ergo illius carnis sacramentum est. Ipse clamat dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium, alia species nominatur, post consecrationem, corpus signatur. Ipse dicit sanguinem suū, ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Tu dicis amē, hoc est, verum est quod os loquitur, quod sermo sonat, affectus sentiat. Et Cyprianus: Cœna itaque disposita, inter sacramentales epulas obuiarunt sibi instituta antiqua & noua, & consumpto agno, quem antiqua traditio proponebat, inconsumptibilem cibum magister apponit discipulis, nec iam ad elaborata impensis, & arte conuiuia populi inuitantur, sed immortalitatis alimonia datur, a communibus cibus differens, corporalis substantiæ retinens speciem, sed virtutis diuinæ inuisibili efficiētia probans adesse præsentiam. Significata olim a tempore Melchisedech prodeunt sacramenta, & filijs ABRABAE facientibus opera eius, summus sacerdos panem profert & vinum. Hoc est, inquit, corpus meū. Mā ducauerant & biberant de eodem pane secundum for

Cyprianus
in
cœna
domini.

Gene. 14.

Ioh. 8.

mā visibilē: sed añ verba illa cibus ille cois tm
nutriendo corpori commodus erat, & vitę cor
poralis subsidium ministrabat. Sed ex quo a
domino dictum est, hoc facite in meam cōme
morationem, hæc est caro mea, & hic est san
guis meus, quotiescunq; his verbis & hac fi
de actum est, panis iste substantialis, & calix
benedictione solenni sacratus ad totius homi
nis vitam, salutēq; proficit, simul medica men
tum & holocaustum ad sanandas infirmitates,
& purgandas iniquitates existens. Manifesta
ta est etiam spiritalis & corporalis cibi distan
tia, aliud fuisse quod prius est appositum & cō
sumptum, aliud quod a magistro datum est &
distributum. Quamdiu cibi illi qui ad diem fe
stum erant parati, a conuescentibus apostolis
sumebantur, veteris paschæ agebatur memo
ria, nec dum Iudas ad veterem vitā pertinens,
diabolo inuadente & occupante animum eius
egredi cogebatur. Sed vbi sacrum cibum
mens perfida tetigit, & sceleratū os panis san
ctificatus intrauit, parricidalis animo vim tan
ti sacramenti non sustinēs, quasi palea de area
exufflatus est, & præceps cucurrit ad perditio
nem. Et post pauca: Panis iste quem dominus
discipulis porrigebat, non effigie, sed natura
mutatus omnipotentia verbi factus est caro. Et
sicut in persona Christi humanitas videbatur
& latebat diuinitas: ita sacramento visibili in
effabiliter se diuina infudit essentia, vt esset re
ligioni circa sacramēta deuotio. Nec huic sen
tentia aduersatur Eusebius Emiffenus, quum
ait: Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in
substantiam corporis & sanguinis sui verbo

Mar. 14
Luc. 22

suo secreta potestate facit & commutat. Gregorius quoque Nyssenus, Theophilus, Cyrillus, Hieronymus, Augustinus, & orthodoxi patres omnes, in hac re conveniunt, qui vno ore sententiam nostram confirmant. At singulas omnium sententias aut verba enarrare, non est huius loci atque temporis. De quibus qui velit perspicere, videat de consecratione distinctione

Heb. 12.

secunda. & non erit quod desideret. Habentes igitur tantam nubem testium, tanta scripturarum testimonia, tam sanctam orthodoxorum patrum cateruam, dubitamus adhuc transsubstantiationis fidem esse Christianam? Quid quod & ipse diabolus hanc fidem transsubstantiationis habuisse liquido comperitur. Nam si Christum non credidisset omnipotentem, ut naturam

Matt. 4.

posset, in quodcumque velit convertere, quomodo aut qua ratione dixisset, si filius dei es, dic ut lapides isti panes fiant? Facebant igitur haeretici filii diaboli, nec negent filii, quod pater credit.

Iaco. 2.

Credunt enim demones et contremiscunt. Credunt in Eucharistia verum corpus Christi ac sanguinem esse. Sed de hoc postea latius differemus.

¶ In singulis sacramentis maximas haeretici adversus Christum et ecclesiam animo parricidalis et ore plusquam sacrilego, evomunt blasphemias: quas nemo quae sincera mente Christianus est, a quo animo aut debet aut potest ferre. Verum multo maiorem impietatem hic docent, et multo impudentius in hoc sacramento omnium summo, ex quo caetera ceu fonte quodam promanant, insaniunt. Ultra Sauroma-

tas fugere hinc libet, et glaciale Oceanum,
 quoties aliquid de hoc sacramento audent dice
 re: Recitabimus tamen bona fide ineptias ipso
 rum. Nec nudi pugnam capessant, sed gladio
 spiritus scilicet muniti, quod est verbum dei,
 spicula torquent in hostem. Textum euangeli
 cum proponunt, qui est apud Iohannem, vbi
 quum dñs Iesus Capharnaitis in synagoga
 docens dixisset, nisi manducaueritis carnem fi
 lij hominis, & biberitis eius sanguinem, nō ha
 bebitis vitam in vobis, multi ex discipulis au
 dientes dixerunt: Durus est hic sermo. Et quis
 potest eum audire? Quibus ipse dixit: Spiritus
 est qui viuificat, caro no prodest quidquā. Quę
 verba pertractans August. dicit: Spirituali
 ter intelligite, quę locutus sum. Non hoc corp⁹
 quod videtis manducaturi estis, & bibituri il
 lum sanguinem, quē fufuri sunt, qui me cruci
 figent. Sacramentum aliquod vobis cōmenda
 ui, spiritualiter intellectu, viuificabit vos. Et si
 necesse est illud visibiliter celebrari, oportet ta
 mē inuisibiliter intelligi. Ex his Augustini ver
 bis inferunt corpus Christi non secundum ve
 ritatem, sed secundum typum aut figurā, per
 inde atq; in signo quodam, esse in hoc sacra
 mento. Demiror profecto, cur homines illi vel
 Argo oculatiores non addant illud ex tērtio li
 bro de doctrina Christiana, vbi Augustinus sic
 habet: Nisi manducaueritis, inquit Christus,
 carnem filij hominis & sanguinem biberitis,
 non habebitis vitam in vobis, facinus vel fla
 gitū videretur iubere. Figura est ergo, ait Augu
 stinus, præcipiens passioni dñicæ eē cōmunicā
 dū, & suauiter atq; vtiliter recōdēdū in memo

Ephe. 66
 Ioh. 6.

August.
 in psal. 98.

Augu. lib.
 3. de doct.
 Chri. c. 160.

ria, quod pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. Hæc verba Augustini iuxta verborum corticem plus videntur pro hæreticis facere, quamuis malitia & superbia excæcati, nō possint intelligere, quid habeant in medulla. Nos ad utranq; Augustini autoritatem simul & breuiter respondebimus, imo respondeat

Tho. Aq.
1. p. q. 73.
ar. 1.

Thomas Aquinas nulli veterum scriptorum (absit verbo inuidia) doctrina aut virtute secundus, vt intelligamus hanc erroris opinionē olim animos hominum præoccupasse, & scripturas sanctas siue etiam Augustini aut Hieronymi non in legendo, sed in intelligendo consistere. Verba eius hæc sunt: Ex hac autoritate hæretici errandi occasionem sumpserunt, Augustini verba male intelligentes. Quum enim Augustinus dicit, non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, non intendit excludere aut negare veritatē corporis Christi: sed quod non essent manducaturi hoc corpus sub ea specie, qua ab eis videbatur. Ex hoc autem quod subdit, sacramentum vobis aliquod commendauit, nō intēdit, quod corpus Christi sit in hoc sacramento solum secundū mysticam significationem, sed quod spiritualiter sit, id est, impassibiliter & virtute spiritus sancti. Hanc autem esse sententiā Augustini vel ex eo liquet, quod super Iohannem exponens illud saluatoris, caro non prodest quicquam, dicit: Sed quomodo illi intellexerunt. Carnem quippe intellexerunt, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur, non quomodo spiritu vegetatur. Accedat spiritus ad carnem, & pro-

August. in
Iohan.

dest plurimū. Nam si caro nihil prodesset, verbum caro non fieret, vt habitaret in nobis. Ex quibus perspicuum fit Christum non loqui de carne sua, quum dicit, caro nō prodest quicq̄, necq̄ enim dixit, caro mea non prodest quicq̄, sed caro, id est, carnalis sensus, sicut Iudæi intelligebant corpus eius dentibus laniandū. Neque vero semper accipitur caro in diuinis literis pro carne Christi. Hunc in modum exponit & Cyprianus dicens: Orta fuerat aliquando, sicut in euangelio Iohannis legitur, de nouitate verbi huius quæstio, & ad doctrinam mysterij huius obstupuerant auditores, quum diceret dominus: Nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem. Quod quidam quia non credebant, nec poterant intelligere, abierunt retro, quia horrendum eis & nepharium videbatur vesci carne humana, existimantes hoc eo modo dici, vt carnem eius vel elixam, vel assam sectamq̄ membratim edere docerentur, quum illius personæ caro si in frustra partiretur, non omni humano generi posset sufficere, qua semel consumpta, videretur interisse religio, cui nequaquam vterius victima superesset. Sed in cogitationibus huiusmodi caro & sanguis non prodest quicquam, quia sicut ipse magister exposuit, verba hæc spiritus & vita sunt, nec carnalis sensus ad intellectum tantæ profunditatis penetrat, nisi fides accedat.

Cypri. ser.
de cæ. do.

Iohan. 6.

¶ Verum & aliud telum ex AVGVSTINO adferunt, sed meo quidem animo
X

pistillo retusius: **AVGVSTINVS**, in-
 quiunt, exponens illud saluatoris verbum, ec-
 ce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque
 ad consummationem seculi, dicit: Donec se-
 culum finiatur, sursum est dominus, sed ta-
 men nobiscum est veritas domini. Corpus e-
 nim in quo resurrexit, in vno loco oportet es-
 se, veritas autem eius, vbique diffusa est. Præ-
 terea **MARCVS** dicit dominum Iesum
 assumptum esse in cœlum, & sedere a dextris
 dei. Quum igitur idem corpus non possit si-
 mul esse in duobus aut pluribus locis, non erit
 corpus **CHRISTI** veraciter in hoc sa-
 cramento. Postremo ad Acta veniunt apo-
 stolorum, vbi angeli **CHRISTO** in cœ-
 lum assumpto, dixerunt discipulis: Hic Ie-
 sus qui assumptus est a vobis in cœlum, sic ve-
 niet, quemadmodum vidistis eum ascenden-
 tem in cœlum. Sic autem veniet ad extre-
 mum iudicium. Interea ergo temporis non
 est quærendus in sacramento. Ego ipse quen-
 dam circumforaneum venientem de compitis
 de plateis (dictu nephandum) magna libi-
 dine vulgi & applaudente populo Vormatiz
 audiui concionantem, qui hac ratione contra
 altaris sacramentum pugnabat. Tales Anti-
 christos nunc habet ecclesia.

Marci. vi.

Actu. i.

¶ Breuiter narrauimus hæreticorum ar-
 gumenta, & eodem ordine quam potero pau-
 cissimis respondebimus. Ad **AVGVSTI-
 NVM** iam sat superque responsum est. Nā

quum dicit, donec seculum finiatur, sursum est dominus, verba eius intelligenda sunt de CHRISTO siue de eius corpore secundum propriam speciem visibilem, sicut ipse Christus testatur, quum ait: Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Inuisibiliter tamen & in sacramento sub speciebus huius sacramenti, nobiscum manet, permanebitque nobiscum omnibus in terris quæ sunt a Gadibus vsque Auroram et Gangen, vsque ad consummationem seculi, vbicumque hoc sacramentum fuerit celebratum. An non ipsissimi sunt Antichristi prophetae (habet enim & diabolus suos prophetas) & præcursores, qui abrogare moluntur omnibus modis venerandum sacrificium missæ, vbi sacramentum hoc a sacerdote diuina virtute atque adeo diuinis verbis conficitur? Hoc sacramentum aut missæ sacrificium in ecclesia fuit iam inde a morte CHRISTI, permanebitque ad finem vsque mundi, donec reuelatus fuerit homo peccati, velint nolint heretici, & tum demum finem habebit. Quem admodum enim DANIEL prophetauit Iudæis, quod regnum eorum, sacerdotium, vinctio, non cessare deberent, donec verus Messias, qui est CHRISTVS, veniret: ita etiam nobis Christianis prophetauit & prænu-
 uit, Antichristum non venturum, nisi ante quotidianum missæ sacrificium acceperit finem & abrogatum fuerit, ad quod præcursores eius hoc tempore satis inuigilant. Et Paulus hac in re

Iohan. 14
 Marci. 14.
 Matt. 26.

Iuue. Sar.
 10.

Dani. 8.

Antichri;

- prophetæ subscribit, docens Antichristum nō
 venturum, nisi primum venerit discessio. Ro-
 gamus, inquit, vos fratres per aduentum domi-
 ni nostri IESV CHRISTI, ne terreami-
 ni, neque per spiritum, neque per hominem, ne-
 que per epistolam tanquam per nos missam,
 quasi instet dies domini. Ne quis vos seducat
 vlllo modo, quoniam nisi venerit discessio pri-
 mum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius
 perditionis, &c. Et sicut supra docuimus, scri-
 ptura diuina comparatione alterius scripturæ
 redditur illustrior, propterea quid per disces-
 sionem velit intelligi, ex epistola ad Timothe-
 um accipere oportet, vbi seipsum explicans
 dicit: Spiritus manifeste dicit, quia in nouis-
 simis temporibus discedent quidam a fide,
 attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæ-
 moniorum. Nonne hic aperte nostros tetigit he-
 reticos, præcursores Antichristi, qui nunc stre-
 nue viam parant diabolo, attendentes spiri-
 tibus erroris & doctrinis dæmoniorum? Quod
 si hos Antichristi apostolos sequi vellemus,
 quos diabolus suggestor scelerum misit ante
 faciē suā, breui sane futura esset mūdi consum-
 matio, & ipse Antichristus iam iam nobis im-
 mineret, & vt Iacobus dicit, ante ianuam assi-
 steret, necessum esset.

¶ Quod rursus ex MARCO propo-
 nunt, nemo negat. Omnes enim ad vnum qui
 euangelio credimus, fatemur Christum assum-
 ptum in cœlum, vbi etiam sedet ad dexteram

patris, sed in forma gloriosa, sed visibili, sed
 quantitatiua. Hoc modo non dicimus Chri-
 stum esse in sacramento. Nec dicimus idem cor-
 pus simul esse posse in duobus aut pluribus lo-
 cis circumscriptiue, ita quod suis dimensi-
 bus, quas certum est esse quantitates, simul sit
 commensuratum pluribus locis. Neque enim
 tam stolidi sumus, vt asseramus corpus Chri-
 sti esse in hoc sacramento, eo modo quo cor-
 pus dicitur esse in loco secundum modum quã-
 titatis dimensiuæ, sed est potius in eo modo quo-
 dam spiritali, & (vt ita dicam) sacramenta-
 li, qui huic sacramento peculiaris est, qui fit
 per transubstantiationem aut mutationem na-
 turæ, panis & vini in corpus & sanguinem
CHRISTI, remanentibus eorum specie-
 bus. Quod si hæc mutatio dexteræ excelsi in
 cor hæreticorum nequit ascendere, vt credãt,
 nec auribus audire nec oculis videre vt intelli-
 gant, inungant obsecro collyrio oculos suos vt
 videant, vt non appareat cõfusio nuditatis eo-
 rum, & plus discant tribuere diuinæ virtuti,
 quam humanæ imbecillitati. Nisi credideri-
 tis, inquit propheta, non intelligetis. Quod si
 nihil credunt, nisi quod audiunt, quod vident,
 quod perspiciunt, quod manibus contrectant,
 dicant mihi velim, quomodo credunt (qui fe-
 re nihil credunt) trinitatem personarum, de-
 um trinum in personis, vnum in substantia,
CHRISTVM natũ ex virgine, **CHRIS-
 TVM** a mortuis resurrexisse. Quod si ad
 scripturam confugiunt ista docentem, cur in

Apoc. 3.

Esa. 7.

Gregori.

hoc sacramento non debet par & æqualis scri-
pturarum haberi autoritas, quæ aperte docent,
CHRISTI verum corpus in hoc sacramē-
to contineri? Ante omnia meminerint illius
quod **GREGORIVS** dicit: Fides non
habet meritum, vbi ratio humana præbet ex-
perimentum. Dicimus itaque corpus Christi
in cœlo esse sicuti in loco & visibiliter, in sa-
cramento autem modo sacramentali per mo-
dum substantiæ, quæ vt sic, loco non circum-
scribitur. Quod vltimo ex **Actis** proponunt
de ascensione **CHRISTI** in cœlum atque
de eius reditu & aduentu, qui erit ad extremū
iudicium, æque ineptum est, atque illud quod
modo confutauimus. Firmiter credimus, quot
quot **CHRISTI** sanguine abluti sumus,
CHRISTVM in ea qua assumptus est in
cœlum forma, rediturum ad extremum iudi-
cium, & iudicaturum viuos & mortuos. Et
quia secundum hanc formam sedet ad dexte-
ram patris, patri per omnia æqualis: interim
nec in terris, nec in sacramento quærendus est
secundum eam formam, qua cœlum conscen-
dit. Est autem in sacramento facta consecra-
tione vere ac integre, sicut & vere adoratur,
sumitur & sacrificatur. Nec propterea Chr-
stus migrat de loco ad locum, quasi præsens
non posset fieri sacramento nisi per loci muta-
tionem, vt relicto cœlo toties sese ad terras re-
cipiat, quoties sacerdotes eucharistiam confi-
ciunt. Puerilia sunt ista & prorsus absurda,

aliena a deo, in quem cadere non potest mutatio aliqua: tantum abest vt illi competat tanta ascendendi & descendendi miseria & necessitas. Quin potius captiuent hic intellectū suum in obsequium fidei, & iuxta mecum credant, deum in cœlo manere & sedere ad dexteram patris, atque ipso in cœlo manente, in sacramento fieri vere præsentem per transsubstantiationem panis in corpus suum, & vini in sanguinem suum: sicut supra ostendimus.

2. Cor. 10.

In communionem atque sumptionem huius sacramenti, in primis valere debet ecclesiæ autoritas, quæ decreuit vt laici sub altera tantum specie, hoc est panis, recipiant eucharistiam, quum sacerdotes recipiant sub vtraque, vini videlicet & panis. Quum enim eucharistia non solum sit sacramentum, sed etiam sacrificium, interdum de ea nobis sermo est, vt est sacramentum, interdum vt est sacrificium. Ratione sacramenti, sub vtraque specie sumenda est eucharistia, quia vtraque species ad perfectionem siue ad perfectam rationem sacramenti pertinet. Verum non eadem omnibus sumentibus est ratio sumendi sub vtraque specie, ita quod plurimum referat, quis sumat eucharistiam, laicus ne an sacerdos, quum nō omnes eam iuxta sub vtraque specie sumere possint. Sacerdotum enim munus est sacramentum hoc consecrare, nō laicorum. Ea propter ratione sacramenti sacerdotis est eucharistia

X 4

ſiã ſumere ſub vtraq; ſpecie, quod laicis non
 comperit, quia eandem poteſtatem cum ſacer
 dotibus in hoc ſacramento non habent. Eucha
 riſtia etiam ſacrificium eſt. Sacrificia autem
 offerre domino, ſacerdotum eſſe conſtat, non
 laicorum. Propterea ſacerdotes in hoc ſacra
 mento Chriſtum offerre debent deo patri in me
 moriam veſpertini ſacrificij in ara crucis pro
 nobis oblari. Sacerdos, ait Apoſtolus, ex homi
 nibus, hoc eſt, ex laicis, aſſumitur, vt offerat
 dona & ſacrificia deo. Atqui Chriſtus inſtituit
 corpus ſuum conſecrandum, ſumendum, offe
 rendum in hoc ſacramento ſub vtraq; ſpecie
 per apoſtolos, quos tum ſacerdotes ad id mune
 ris conſecrauit, dicens: Hoc facite in meam cõ
 memorationem. Quum ergo ſacerdos, qui of
 fert ſacrificium & diſpenſat ſacramentum po
 pulo, eiſdem ſacrificij prius debeat eſſe par
 ticeps, vt docet Dionyſ. lib. eccl. Hierarchiæ,
 q̄ ipſum populo diſpenſet, & ſumendo ſacrifi
 cium, ipſius particeps efficiatur, iuxta illud apo
 ſtoli: Nonne qui edunt hoſtias, particeps ſunt
 altaris? Debet etiam quotieſcunq; celebrat ſa
 cramentum, integre ſumere ſub vtraq; ſpecie.
 Quod ſi non ipſe celebrat, ſed de manu alteri
 us ſacerdotis ſumit euchariftiam, ſicut fieri ſo
 let in paraſceue, vel in infirmitate ſacerdotis,
 ſatis eſt ſi ſub ſpecie tantũ ſumat panis. Quod
 de ſacerdote celebrante diximus, ſtabilitur ex
 determinatione concilij Toletani, quæ etiam
 ſumpta eſt ex Apoſtolo, quum dicit: Nonne, q̄
 edunt hoſtias, particeps ſunt altaris? Certum
 eſt, quod ij qui ſacrificãtes nõ edũr, rei ſunt do

Ephe. 5
 Heb. 5

Luc 22

Dionyſ.

1. Cor. 10.

minici sacramenti. Quicumq; sacerdotum deinceps diuino altario sacrificium altaris oblaturus accesserit, et se a communione suspenderit, ab ipsa qua se indecenter priuabit gratia communions, anno vno repulsum se nouerit. Nam quale erit sacrificiū, cuius nec ipse sacrificans particeps eē dinoscitur? Ergo modis omnibus tenendum est, vt quoties cunq; sacrificans corpus & sanguinem domini nostri Iesu Christi in altario immolat, toties perceptionis corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi participem se præbeat. Hinc consonat quod Gelasius papa Maiorico & Io. episcopis scribens, dicit: Comperimus autem, quod qdam sumpta tantummodo corporis sacri portione, a calice sacrati cruoris abstineant: qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur adstringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia diuisio vnus eiusdem mysterij sine grandi sacrilegio non potest peruenire.

¶ Hactenus de eucharistia vt est sacramentum & sacrificium, pro tempore differuimus: nunc de ratione & modo sumendi, reliquū est, vt dicamus. Celebrātes hoc sacramentū commonemur, quasi vngulam findens & ruminans pecus reuocare ad fauces, & minutatim commolere dominicæ institutiōis exemplum, vt semper passio sit in memoria, vt semper ob oculos habeamus, quanta reuerentia, quantus honos huic debeat sacramento: ne quis temere accedat aut suscipiat, ne qua fiat iniuria tanto sacramento. Summa autē iniuria necnon &

De conse.
dist. 2. ca.
Relatum.
1. Cor. 10.

De conse.
dist. 2. ca.
Comperimus.

irreuerentia huic fieret sacramento, si in summentibus non adhibeatur debita cura, ut caueant ne quid sanguinis effundatur, quod quatione caueri possit in tanta hominum turba, in qua sunt iuuenes & virgines, senes cum iunioribus, infantes, docti iuxta ac indocti, quidam etiam plumbo stupidiores, quidam Glauco stultiores, non video, si oibus promiscue sub vtraque specie, esset communicandum. Et domini sententia non tam facile margaritæ porcis proficiendæ sunt, aut sanctum canibus, maxime quando tanto cum periculo res agitur. Sunt qui eucharistiam vel sub specie panis citra discrimen aut iniuriam sacramenti suscipere non possunt, ea est hominum rusticitas & socordia. Iustis ergo rationibus decreuit ecclesia, ut laici sub altera specie tantum, eucharistiam recipiant, sacerdotes sub vtraque. Nec me clam est, olim etiam infantes communicasse, sub vtraque specie, quum id aperte testetur Cyprianus martyr sermone quinto de lapsis, vbi & plura recitat miracula facta apud eos, qui indigne sacris hisce se ingesserunt mysterijs. Et quoniam nunc de communione sub vtraque specie disputamus, exemplum aut miraculum narrabo, quo vel Cypriano teste doceam, quam iustis rationibus adempta sit laicis altera species. Præsentem, inquit, ac teste me ipso accipite, quid euenerit. Parêtes forte fugientes dum trepidi minus consulant, sub nutricis alimēto paruulā filiam reliquerunt, relicta nutrix detulit ad magistratus. Illi ei apud idolum quo populus confluebat, & carnem necdum posset edere per ætatem, panē

Cypria.
serm. 5. de
lapsis.

mero mixtū, quod tñ & ipsum de immolatiōe
pereuntium supererat, tradiderunt. Recepit fi-
liam postmodū mater. Sed facinus puella com-
missum tā loqui & indicare nō potuit, quā nec
intelligere prius potuit, nec arcere. Ignoratiōe
igif obreptū est, vt sacrificantib. nobis eā secū
mater inferret. Sed em̄ puella mixta cū factis,
precis nostræ & corōnis impatiens, nūc ploratu
concuti, nunc mentis æstu fluctuabūda iactari
velut tortore cogente, qbus poterat iudicijs cō-
scientiā facti in simplicibus adhuc annis rudis
aia fatebatur. Vbi vero solē nibus adimpletis
calicē diaconus offerre p̄sentibus cœpit, & ac-
cipientib. ceteris locus eius aduenit, faciē suā
paruula instinctu diuina maiestatis auertere, os
labijs obrurātibus p̄mere, calicē recusare. Per-
stitit tamen diaconus, & reluctanti licet de sa-
cramento calicis infudit. Tunc sequitur singul-
tus & vomitus. In corpore atq; ore violato eu-
charistia permanere non potuit. Sanctifica-
tus in domini sanguine potus, de pollutis vi-
sceribus erupit. Tanta est potestas domini,
tanta maiestas. Secreta tenebrarum sube-
tus luce detecta sunt, sacerdotē dei nec occulta
crimina sefellerunt. Hoc circa infantē q̄ ad lo-
quendum alienum circa se crimen, necdum ha-
buit ætatem. Hoc miraculum commemorauit,
vt intelligamus Cypriani martyris ætate, etiā
infantes communicasse, qui ritus nunc iustis de
causis abrogatus est. Nec laici minus sub alte-
ra tantum specie sumūt, quam sacerdotes sub
vtraq; quia totum Christum sumunt corpus
videlicet eius & sanguinem, quum sub specie

panis totus Christus contineatur. Verum em̄ ac viuum corpus Christi nequit esse sine sanguine, sine anima, sine diuinitate, sicut nec viuus eius sanguis sine eius corpore, anima, & diuinitate. Quare quum sacerdotes sanguinē consecrent, offerant & sumant pro omnibus & in persona omnium sub vtraque specie, satis est vt laicis altera tm̄ species præbeatur.

Iohan. 6. ¶ Et q̄ hæretici in hac re cōtra ac nos docuimus, sentiunt, est in aīo mihi obiectiones ipsorum refellere. Primum innituntur verbis Christi dicentis ad Iudæos: Nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Ex quibus verbis colligunt, communionem sub vtraque specie non sacerdotibus tantum, sed & laicis necessariam esse, adeo vt sine ea salutē consequi possit nemo. Hac ratione totum clerū condemnāt impietatis, quia laicis vtramq̄ specie non permittit. Huic argumento non aliter respondēbimus ac ab Augustino responsum est, qui dicit Christum hic loqui de manducatione & spiritali carnis & sanguinis sui. Vnde Bonifacio scribens, dicit hanc legē domini adimpleri etiam in infantibus, quando in baptismo (in quo vnusquisq̄ fidelium corporis & sanguinis domini fit particeps) membra Christi efficiuntur. Et super Iohannem dicit: Hunc itaque cibum & potum, societatem vult intelligi corporis & membrorū suorū, quod est ecclesia in prædestinatis. Et iterum exponens illud: qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo, di-

August.

erit: Hoc est ergo manducare illam escam, & il-
 lum bibere potum, in Christo manere, & Chri-
 stum in se habere. Ac per hoc qui non manet
 in Christo, & in quo non manet Christus, pro-
 culdubio nec manducat eius carnem, nec bibit
 eius sanguinem; sed magis tantæ rei sacramē-
 tum ad iudicium sibi manducat & bibit. Sic
 quoque Cyprianus hunc locum explicat sermo-
 ne de cœna domini, Et iuxta hunc sensum, ver-
 ba Christi nihil contra nos faciunt. Nam quis
 quis particeps est ecclesiasticæ vnitatis, siue q-
 cunq; gratiam aut charitatem habet, spiritali-
 ter suscipit hoc sacramentum & carnem Chri-
 sti manducat & sanguinem eius bibit. Ideo &
 sacramētum dicitur. Sicut enim ex multis gra-
 nis fit vnus panis: ita ex pluribus fidelibus v-
 num fit Christi corpus mysticum: quemadmo-
 dum diuersa membra in corpore naturali vnū
 constituunt corpus. Hoc est quod dicit Augusti-
 nus, vbi ait: Propterea Christus corpus & san-
 guinem suum in eis rebus commendauit, quæ
 ad vnū aliquid rediguntur ex multis. Nam
 aliud in vnū ex multis granis conficitur &
 constat, aliud in vnū ex multis racemis con-
 fluit. Et iterum: Manemus in illo, quum sumus
 membra eius: manet autem ipse in nobis, quū
 sumus templum eius. Vt autem simus mēbra
 eius, vnitas nos compaginat: vt compaginet
 vnitas, quid facit nisi charitas? Et charitas dei
 vnde? Apostolum interroga. Charitas, inquit,
 dei diffusa est in cordibus nostris per spiritum
 sanctum, qui datus est nobis. Ergo spiritus est
 q̄ viuificat, Spiritus enim facit viuā membra,

1. Cor. 11.
 Cypria.

Rom. 12.
 1. Cor. 12.
 August.
 in Iohan.

Roma. 5.

nec viua membra spiritus facit, nisi quæ in corpore quod vegetat, ipse spiritus inuenerit. Nā spiritus qui est in te, o homo qui constas vt homo sis, nunquid viuificat membrum, quod separatum inuenerit a carne tua? Hæc Augustinus: Ex his perspicuum fit, etiā infantes baptizatos, Christi carnem spiritualiter manducare, & sanguinem eius bibere. Qui enim spiritualiter nō manducat & bibit, sine charitate & spiritali vita manet. Cyprianus sermone sexto, de oratione dominica, exponens illud saluatoris, panem nostrum quotidianum da nobis hodie, sic dicit: Panis vitæ Christus est, quem dari nobis quotidie postulamus, ne qui in Christo sumus, & eucharistiam quotidie ad cibū salutis accipimus, intercedente aliquo grauiore delicto, dum abstenti, & non cōmunicantes a cœlesti pane prohibemur, a Christi corpore separeremur, ipso prædicante & monente: Ego sum panis vitæ, qui de cœlo descendi. Si quis ederit de hoc pane, viuet in æternum. Panem autē quē ego dederō, caro mea est pro seculi vita. Quando ergo dicit in æternum viuere, si quis ederit de eius pane, vt manifestum est eos viuere, qui corpus eius attingunt, & eucharistiam iure cōmunicationis accipiunt: ita contra timendū est & orandum, ne dum quis abstentus separatur a Christi corpore, procul remaneat a salute, cōminante ipso & dicente: Nisi ederitis carnem filij hominis, & biberitis sanguinem eius, non habebitis vitam in vobis. Et ideo panē n̄m. i. Ch̄m, dari nobis quotidie petimus, vt qui in Christo manemus & viuimus, a sanctificatiōe

Iohan. 6

Ibidem

eius & corpore non recedamus. Hic Cypri. dicit eos manducare carnē Christi & bibere eius sanguinem, q̄ in corpore eius manēt, a quo grauioribus delictis immerſi ſeparātur. Quod manifestius alio loco explicat, quū dicit: Dixerat sane huius traditionis mgr̄, quod nisi māduca-remus & biberemus eius sanguinem, non haberemus vitam in nobis, spiritali nos instruēs documēto, & aperiens ad rē adeo abditā intellectū, vt sciremus quod mansio nra in ipso sit manducatio, & potus q̄si q̄dam incorporatio, subiectis obsequijs, voluntatibus iunctis, affectibus vnitis. Esus igitur carnis huius q̄dā auiditas est, & quoddā desiderium manendi in ipso, per quod sic imprimimus & eliquamus in nobis dulcedinē charitatis, vt hæreat palato nro, et viscerib. sapor dilectionis infusus, penetrās & imbuens oēs animę corporisq̄ recessus. Potus & esus ad eandē pertinent rōnem, q̄bus sicut corporea nutritur substantia & viuūt, et in columis perseuerat: ita vita spūs hoc proprio alimēto nutritur, et quod est esca carni, hoc animæ ē fides: quod cibus corpori hoc verbū spūi excellentiori virtute peragens æterna, quod agūt alimenta carna, tēporaliter et finaliter. Hactenus Cypria. ¶ Quod si q̄s voluerit contentiosus esse, & libidine quadā rixandi pertinaciter asserere Chm̄ loq̄ de esu & potu sacramentali, quemadmodū sacramentū sub vtraq̄ specie, panis, sc̄z & vini a sacerdote sumitur, etiam atq̄ etiam consideret, ne sic eucharistię sacramentū efferat & necessarium prædicet, vt deprimat baptismum, & alterę in alterius laudet perniciē & iniuriā. Nā si om̄ibus iuxta

Cypr. ser.
de carna
domini.

Esus carnis
Christi.

Ioh. 3.
Ioh. 6.

Iacobello
Misnensis,
vide Aene
am Siluiū
in hist. Bo
hemica.

præceptum est, vt sacramentum corporis Christi sub vtraque sumant specie, qui salutem consequi desiderant & vitam in se iuxta Christi verba, habere volunt, necessario consequitur, baptismum non sufficere infantibus ad salutem. Qui enim dixit, nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu sancto, non potest introire in regnum dei, etiam dixit, nisi manducaueritis carnem filij hominis & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis. Vnde Greci hinc erroris ansam acceperunt, non recte intelligentes verba Christi, & infantibus vtramque speciem dederunt. Quorum errorem Bohemi a quodam Iacobello seducti, ante annos centum amplexati sunt & sequuti. Sed hic error admodum impius est & hæresim sapit. Si enim ad infantes baptizatos dicitur, nisi superferitis hoc eucharistiæ sacramentum, non habebitis vitam in vobis, sequitur quod ex baptismo vitam non habeant, & propterea eos qui baptizati sine hoc sacramento decedunt vitam non habere æternam, quod constat hæresim esse damnatam. Proinde verba Christi etiam de sacramentali manducatione intellecta, nequaquam sunt ad paruulos baptizatos extendenda. Et quia non tantum corpus Christi sub panis specie, & sanguis sub specie vini est, vt dixit Nestorius: sed integer atque perfectus Christus sub vtraque specie continetur, vti supra ostendimus, laici sumentes hoc sacramentum sub forma panis tantum manducant corpus Christi, in quod panis conuersus est, & eius sanguinem bibunt, qui reipsa & veraciter adest corpori Christi. Non enim

sumunt mortuum sed vlium Christi corpus, quod ex angue non est, neq; sine anima & diuinitate. Sumunt igitur laici sub specie panis integrum CHRISTVM, haud minus quā sacerdotes sub vtraque specie. Prohent autem se virique, ne sine fructu, hoc est, sacramentaliter tantum cum Iuda sumant, sic em̄ caro Christi sumpta nihil prodest, imo multū obest. Qui enim, teste Paulo, manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit nō diiudicās corpus domini. Sacramenta quidem, inq̄t Cyprianus, quantum in se est, sine propria eē virtute nō possunt, nec vllō modo diuina se absentat maiestas mysterijs. Sed quāuis ab indignis se sumi vel contingi permittant, nō possunt tamen spiritus esse participes, quorum infidelitas vel indignitas tantā sanctitudini contradicit. Ideoq; alijs sunt hęc munera odor vitæ in vitam, alijs odor mortis in mortem, quia omnino iustum est, vt tanto priuentur beneficio gratiæ contemptores, nec in indignis tantā gratiæ puritas sibi faciat mansionem. Sed hęc quidē in genere de omnibus sacramentis, nunc quanto orationis flumine de hoc sacramento differens excurrat, audiamus: Hi inquit, qui verbo tenus corde sicci, & mēte aridi sacris intersūt veletiam participant donis, lambunt quidem petram, sed inde nec mel sugunt, nec oleum, q nec aliqua charitatis dulcedine, nec spiritus sancti pinguedine vegetantur, nec se iudicant, nec sacramenta diiudicant, sed sicut cibus communibus irreuerenter sacris vtuntur muneribus, & dominicæ mensæ in veste lutulenta se inge

Ioh. 6:
1. Cor. 11.

Cyprianus.
ser. de cor.
dom.

Matt. 26.

runt impudenter, quibus melius erat mola asina arja collo alligata, mergi in pelagus, quã illota conscientia de manu domini buccellam accipere: qui vsque hodie hoc veracissimum & sanctissimum corp^s suum creat, & sanctificat & benedicit, & pie sumentibus diuidit.

¶ Instant & vrgent adhuc hæretici nos, & argumentorum telis & syllogis morum griphis obruere conantur. Reipsa hic verum esse comperio, veritatem ab erroneis hominibus cõprehendi non posse, qui quum in sole volunt fingere oculos, vim luminis non ferentes, excæcantur, non illuminantur. Nam vt superius docuimus, inter dominicæ mensæ conuiuas, animalis homo non admittitur, quicquid caro & sanguis dicat, ab hoc cõtatu excluditur, nihil sapit, nihil prodest quicquid humani sensus molitur subtilitas. Recitabimus tamen hæreticorum strophas, quibus iuxta eloquentissimũ poetam furor arma ministrat. Christus, inquit, instituit & præcepit, vt sacramentum consecraretur & sumeretur sub vtraque specie, dicens: Hoc facite in meam commemorationẽ. Item: Bibite ex hoc omnes. Omnes ergo, aiunt & præcepto & exemplo CHRISTI, qui etiam Iudam non exclusit, sub vtraque specie communicare debent. Respondemus, hoc argumentum nihil facere pro laicis. Nam verba ista, bibite ex hoc omnes, hoc facite in meam commemorationem, Apostolis CHRISTVS dixit: quibus præcepit vt in sui me-

Vergilius.

moriam sacramentum hoc conficerent, consecrarent, offerrent & sumerent. Apostoli enim si euangelio credimus, dominicæ coenæ dumtaxat interfuerunt, quibus tum potestatem illam summam consecrandi contulit, quorum successores certum est esse episcopos & sacerdotes, non laicos. Quare si verbis his standum est, nulla nos vrget necessitas, vt laicis vtramque speciem demus: sed sacerdotibus tantum. Nā si verba ista, Bibite ex hoc oēs, citra discrimen oibus tam laicis quam sacerdotibus dicta sunt, nihil profecto distabit inter sacerdotem & laicum: sed omnes ex æquo erunt sacerdotes. **CHRISTVS** enim non tantum dixit Apostolis suis, bibite ex hoc omnes, sed etiam addidit, hoc facite in meam commemorationem. Quibus verbis ipsis consecrandi potestatem tribuit, & sacerdotes ordinauit: sicut superius in sacramēto ordinis ostendimus.

¶ Eiusdem farinae est telū, quod in nos vibrant ratione perfectionis sacramenti, dicentes: Sub diuino præcepto cadit perfectio sacramenti. Integratur autem hoc sacramentum ex vtraque specie, quum sit vnum vnitate perfectionis, ex cibo enim & potu constat alimentū perfectum. Vnde saluator ait: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinē, habet vitam eternā. Hoc Chryssippi spiritū vnus nō æstimamus assis. Nihil em̄ aliud probat, q̄ vt sacerdotes, q̄ nō tantū cōmunicant, sed etiā cōsecrāt, sacramentū hoc sub vtraque specie sumant, quod laicis nō cōpetit q̄

Ioh. 6

tantum communicant, quamuis & ipsi verum perfectumque corpus Christi sub altera tantum sumant specie, nec minus quam sacerdotes.

Cypria.
Lauren.
Sixtus.

¶ Verum in primitiua, inquit, ecclesia totus populus communicabat sub vtraque specie, vt liquet ex Apostolo. i. Cor. xi. & huiusmodi consuetudo perdurauit non solum tempore persecutiōis aut martyrum (hos enim Cyprianus dominico poculo præconfortandos censuit, & Laurentius diaconus dixit sibi dominici sanguinis dispensationem a beato Sixto commissam) sed etiam tempore pacis ecclesiæ, quum legamus factas non solum patinas, sed etiam calices ministeriales, sic dubio procul dictos, quia ad ministrandum populo Christi sanguinem deseruiebant. Respondemus & dicimus, falsum esse quod asserunt. Nunquam enim fuit in tota primitiua ecclesia vniuersalis consuetudo comunicandi populum sub vtraque specie, quum Hierosolymis (vbi & ingens erat multitudo fidelium) legamus communionem sub sola specie panis factam, Luca testante, quum dicit: Erant autem perseuerantes in doctrina apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. In ecclesia autem Corinthiorum, comunicabant sub vtraque specie, sicut ex Paulo liquet. Qui mos quam diu permanserit, certum non habemus. In confesso ergo est, nunquam fuisse generalem consuetudinem, vt Laici sub vtraque specie eucharistiam reciperent. Vnde crescente multitudine Christianorum inter quos non pauci reperiuntur rudes indiscretique non adhibentes debitam cautionem nec exhibentes

Actu. 2.
i. Cor. 11.

debitam reuerentiam sacramento, creditur ab apostolis communionem laicam sub specie panis tantum traditam. Sic enim communicabāt Hierosolymis in fractione panis. Nec vsquam legitur, quādo ecclesia ordinauerit vt laici tantum communicarent sub altera specie, licet in sacris canonibus inueniatur communio laica, quam sub specie panis tantum fieri interpretantur.

¶ At rursum occurrunt, dicentes: Si ecclesia possit laicis tollere dominici sanguinis cōmunionem, eadem quoq; rōne possit eos amouere a corporis Christi perceptione. Quod quū non possit, neq; alterum poterit. Dicimus ecclesiā optimo iure, communionem sanguinis sub specie vini, posse laicis negare ad euitandū sacrilegij periculum. Nam rationi atq; adeo legi diuinæ consentaneum est, vt omnibus modis caueatur ac curetur, ne q̄ fiat irreuerētia huic dignissimo sacramento. Nec propterea laicis iniuriam facit, quū tm̄ sumant sub altera specie, quantū sacerdotes sub vtraq; . Sumunt em̄ sub altera specie vtrūq; Christi corpus et sanguinē. Nec minus participes sunt spiritualis dulcedinis & fructus, q̄ ex hoc sacramento promanat, modo digne accedant, quā si sub vtraq; sumerēt. Quin contra ac illi opinantur res sese habet. Nam ex eo quod ecclesiæ vel præcepto vel consuetudini parent, & obedientiæ p̄mium accipient & sacrilegij schismatisq; crimen euadunt, q̄bus delictis irretiti sunt laici sub vtraq; specie cōmunicantes . Non potest autem ecclesia laicis interdicare, vt in totum abstinēāt a cōmunionē

De electi.
& electi.
potest. ca.
Ofius.

huius sacramenti, quia non potest nec debet eos priuare fructu spiritali huius sacramenti. Quam obrem quo maiorē fructum ex hoc sacramento capiant, accessit ecclesie p̄ceptum, quo omnes vtriusque sexus iubetur in pascha te communicare. Hinc Cyprianus dicit. Nec solos sacerdotes ad panes huius dignitatis Leuiticæ p̄rogatiua admittit, vniuersa eccles. ad has epulas inuitatur, æqua oībus portio datur, integer erogatur, distributus nō demembratur incorporatur non iniuriatur, recipitur non includitur, cum infirmis habitās non infirmatur nec pauperū ministerio indignatur, fides pura mens syncera, huic habitatorem delectat, neque immensi & omnipotentis dei magnitudinem pauperculæ domus nostræ angustia offendit vel artat.

¶ Missa, siue eucharistia, non solū est sacramētū, sed etiā vete noue legis sacrificiū a Christo institutū, vt in sui memoriā offeratur deo, & in cibū detur populo. Nam in cœna nouiss. transiturus de hoc mundo ad patrē, accepto pane gr̄as egit & fregit, deditq; discipulis dicens. Hoc est corpus meū, quod pro vobis tradetur. Quibus verbis aperte Chr̄us insinuauit eucharistiā & sacramētū & sacrificiū esse. Sacramētum qdē in eo quod dixit. Hoc (quod videlicet porrigebat sub specie panis) est corp⁹ meū. Sacrificiū autē in eo quod addidit quod pro vobis tradetur in mortē. Per mortē em̄ suā tradidit se metipsum pro nobis oblationē & hostiā deo in odorē suauitatis. Idē ergo corpus suū quod sub specie panis disc. porrexit in cœna sub propria specie obtulit in cruce atq; id q; in cœna

Cypria.
serm. de
cœna do.

Matth. 26.
Luc. 22.
Marc. 14.
1. Cor. 11.

Eph. 5.

inchoauit, in cruce consummauit. Quare cum cōster apo. sacerdotalē potestatē a Ch̄ro in cœna collatam, quibus & iussit, vt quod ipse fecerat, hoc ipsum etiam facerent in sui memoriam, dicens: Hoc facite in meam commemorationem. Hoc, inquam, quod ego in cœna feci & in cruce perfeci, consequens profecto est, vt sacerdotes non solum consecrent, & sumant Christi corpus in missa, sed etiam immolent & offerant, & proinde missam siue eucharistiam etiam verum esse sacrificium, nedum sacramentum. Et hæc dicta sint de hoc sacramento, vt offertur sub specie panis. At non minus euidenter patet sacramentum hoc esse sacrificium, vt offertur sub specie vini. Matthæus enim dominicam cœnam describens, ait: Et accipiens Iesus calicem gratias egit, & dedit discipulis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui testamēti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hunc imitatus abbreviator eius Marcus dicit: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur. Lucæ deniq; verba hæc sunt: Hic est calix nouum testamētum in meo sanguine, qui pro vobis fundetur. Habes hic apertissime trium euangelistarum testimonio, eucharistiā siue missam simul esse sacramentū & sacrificium, vt offertur sub specie vini. Ex hoc em̄ quod Ch̄s sanguinē suū sub specie vini discipulis dedit, manifestū ē eucharistiā esse sacramentum. Quod autem addit, qui pro multis siue pro vobis effūdetur, quod adimpletū est in cruce, indicat eā esse sacrificiū. Quū

Matth. 26.

Marc. 14.

Lucæ. 22.

igitur eundem sanguinem apostoli sub specie vini sumpserint in coena, quæ Christus effundendo obtulit in cruce, & sacerdotibus iustum sit, ut idem faciant celebrando, quod ipse fecit, indubitato sequitur eucharistiam siue missam non tantum esse sacramentum, sed etiam verum nouæ legis sacrificium a Christo institutum. Et quamuis materiæ huius sacramenti duplex sit consecratio, vnum tamen est sacramentum & sacrificium perfectum. Consistit enim hoc sacramentum in quadam spiritali refectione, quæ perfecta esse nequit sine cibo & potu. Quum igitur sacramentum hoc institutum sit a Christo ad spiritalis animæ refectionem, integrum & perfectum esse non potest, nisi adsit cibus spiritalis & potus, iuxta illud: Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.

1. Cor. 11.

¶ Ex verbis quoque Apostoli apertissime colligitur Christum instituisse hoc sacrificium, quod etiam tempore apostolorum in usu fuit, non solum ut sacramentum, sed etiam ut sacrificium. Ego enim, inquit, accepi a domino, quod & tradidi vobis, quoniã dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit: Accipite & manducate, hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cenauit, dicens: Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem.

¶ Ex hoc quod Paulus dicit se tradidisse

Corinthijs, antequam scriberet eis priorem epistolam, quod accepit a domino de eucharistia, duo discimus. Alterum, quod multa viua voce tradiderunt apostoli ecclesijs seruanda, quæ scripta non sunt. Vnde nisi subsequuta fuisset hæc epistola, nesciremus Paulum Corinthijs tradidisse ea quæ acceperat de eucharistia a domino. Alterum est quod id quod acceperat a domino, & tradiderat Corinthijs de eucharistia, erat ritus communicandi & accipiendi hoc sacramentum qui iam vsitatus erat apud Corinthios, de quo ritu mentionem fecerat capitulo præcedenti, quum diceret: Fugite ab idolorum cultura. Calix benedictionis cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? & panis quem frangimus, nonne participatio corporis domini est? Qm̄ vnus panis, & vnum corpus multi sumus, omnes qui de vno pane & de vno calice participamus. Videte Israel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias, participes sunt altaris? Quid ergo? Dico quod idolis immolatum sit aliquid? aut quod idolum sit aliquid? Sed quod quæ immolant gentes, dæmonijs immolant, & non deo. Nolo autem vos socios fieri dæmoniorum. Non potestis calicem domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ domini participes esse & mensæ dæmoniorum. Quæ verba Augustinus tractans, ait: Verum sacrificium, quod vni vero debetur deo, quo eius altare solus CHRISTVS impleuit, in victimis pecorum imitata dæmonia, sibi arroganter exposcunt. Vnde dicit Apostolus: Quæ

1. Cori. 10.

Aug. li. 20
cōtra Fau-
stum c. 18.

immolant gentes, dæmonijs immolant & nō deo, non quod offerebatur culpans, sed quia illis offerebatur. Hebræi autem, in victimis pecorum quas offerebant deo, multis & varijs modis sicut re tanta dignum erat, prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quā Christus obtulit. Vnde iam Christiani, peracti eiusdem sacrificij memoriam celebrant, sacrosancta oblatione & participatione corporis & sanguinis CHRISTI. Et apertius libro primo contra inimicum legis & prophetarum. Ideo, inquit, addidit Apostolus secundum carnem, quia est Israel secundum spiritum, qui veteres vmbrias iam non sequitur, sed eam consequentem quæ illis vmbreis præcedentibus significata est, veritatem. Hæc quippe ecclesia est Israel secundum spiritum, a quo distinguitur ille Israel secundum carnem, qui seruebat in vmbreis sacrificiorum, quibus significabatur singulare sacrificium, quod nunc offert Israel secundum spiritum. De huius domo nō accepit vitulos, neque de gregibus eius hircos. Iste immolat deo sacrificium laudis non secundum ordinem Aaron, sed secundum ordinem Melchisedech. Vnde in psalmo CHRISTVS dicitur esse sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Nouerunt qui legunt quid protulerit Melchisedech, quādo benedixit Abraham. Et si iam sunt participes eius, vident tale sacrificium nunc offerri deo toto orbem terrarum. Dei autem iuratio, incredulorum est increpatio, & quod deum non pœnitebit, significatio est, quia hoc sacerdotium non muta-

Aug. con.
inim. leg.
& proph.
ca. 32. li. 1.

Psal. 109.

Gene. 14.

bit. Mutauit quippe sacerdotium secundum ordinem Aaron. Vnde alius propheta dicit ad **Mala. x.** eum, qui carnaliter est Israel. Non est mihi voluntas in vobis, dicit dominus omnipotens, & hostiam non accipiam de manibus vestris. Ecce quid est secundum ordinem Aaron. Cur autem hoc non accipiat addidit, & dicit. Quia ab ortu solis vsque ad occasum glorificatum est nomen meum in gentibus, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & hostia pura, quia magnum est nomen meum in gentibus, dicit dominus omnipotens. Ecce quid est secundum ordinem Melchisedech. Cōsonat his **Cyprianus** Cyprianus, quum dicit: Significata olim a tempore **MELCHISEDECH** prodeunt sacramenta, & filijs Abraham facientibus opera eius summus sacerdos panem profert & vinum. Ex verbis ergo Apostoli liquet ipsum ritum in ecclesia fuisse, qui & nunc obseruatur, ita quod sumentes eucharistiam, sumant etiam de sacrificio altaris. Et quia de sacrificio participant, de immolatis & idolythiis monet Corinthios, vt fugiant culturam idolorum. Quam ob causam & veteris legis consuetudinem in medium affert, secundum quam edentes hostias, erāt altaris participes: sicut & gentes dæmonijs immolantes, mensæ dæmoniorum erant participes. Habes ergo ex textu **P A V L I**, quod calix & panis domini tempore apostolorum in sacrificij vsu erant, nisi forte quis adeo desipiat, vt existimet non in loco atque adeo sine causa Apostolum tam

accurate omnia ista de pane & calice attulisse. Hic textus Apostoli si iungatur ei quod sequenti capite habet, ubi dominicæ mensæ institutionem enarrans dicit, ego enim accepi a domino, &c. satis nobis documento esse potest, Christum eucharistiam non solum instituisse ut sacramentum, sed etiam ut sacrificium, Apostolos quoque hoc sacramentum ecclesiæ commendasse ut sacrificium. His suffragantur verba Apostoli scribentis ad hebræos: Omnis namque pontifex ex hominibus assumptus pro hominibus constituitur, in his quæ sunt ad deum, ut offerat dona & sacrificia pro peccatis: qui condolere possit ijs qui ignorant & errant, quoniam & ipse circumdatus est infirmitate: & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Hic Apost. asserit precipuum officium pōtificis esse, offerre dona & sacrificia pro peccatis suis & populi. Et quæ nā dona aut sacrificia potiora offerre poterit sacerdos, quam vnicum illud propitiatoriumque sacrificium corporis & sanguinis Christi? Proinde audiendi non sunt hæretici, negātes missam esse sacrificium, aut vnū posse offerre pro alio: quod tamen, ut in Leuitico patet, semper sacerdotum fuit officium.

¶ Post quæ axioma nōm de quo nūc agimus, cū Apo. tū Christi verbis stabiluimus, non absere fuerit patrum sententias referre. Incipiemus igitur ab Anacleto Clementis successore, qui etiam annum viuentibus Apostolis, in epistola quā scripsit omnibus ecclesiarum episcopis, sic ait Episcopus deo sacrificās testes secum habeat:

Heb. 5.

Anacle. de
cōf. dist. 1.
Episco

In solēnioribus quippe diebus, aut septem aut quinque, aut tres diaconos, qui oculi eius dicuntur & subdiaconos atq; reliquos ministros secum habeat. Idem tradit Ignatius martyr apostolorum discipulus in epistola ad Smyrnēses. Ex sexta synodo sic habetur: Iacobus frater domini secundum carnem, cui primum credita est Hierosolymitana ecclesia, & Basilius Cæsariensis episcopus, cuius claritas per totū orbem refulsit in scripturis, addiderunt missæ celebrationē. Telesphorus quoq; papa (hic quartus a beato Petro recēsetur) cuius tempore, ecclesia Romana triumpho martyrum, & nullo adhuc temporali florebat imperio, his subscribit dicens: Nocte sancta natiuitatis domini saluatoris, missas celebrēt presbyteri, & hymnū angelicum in illis solenniter decantent, quoniam & eadem nocte ab angelo pastorib. est nūciatus, & subito facta est cum angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium deum & dicentium: Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Reliquis vero temporibus missarum celebrationes ante horā dicti tertiam minime sunt celebrandæ, quia in eadem hora, & dominus crucifixus est, & super Apostolos spiritus sanctus legitur descendisse. Quid Alexandrum septimum a Petro, quem quidam prætermisso Lino & Cleto quintū in ordine ponunt, commemorem? Nihil, inquit, in sacrificiis maius esse potest, q̄ corpus & sanguis Christi. Nec vlla oblatio est hac potior, q̄ pura conscientia, puraque mente domino est offerenda, & pura mente sumenda, ab atq; oibus

Ignatius.
de cōf. dist.
stin. 1. c. Iacobus.
Basi. Mag.
de cōf. dist.
1. c. Nocte
sancta.
Telespho.
de cōf. dist.
2. c. Nihil.

Alexander:

Lib. 4. ca.
32. Irenæ
us.

veneranda, & sicut potior est cæteris, ita potius excoli & venerari debet. Hic pontifex primum sacrificio missæ addidit: Qui pridie quâ pateretur, vsq; ad hunc locum, hoc est corpus meum. Hic instituit, vt aqua vino admisceretur, & non in fermentato, sed in azymis fieret consecratio. Et Irenæus Polycarpi martyris discipulus episcopus Lugdunensis apostolorum temporibus vicinus: Eum, inquit, q̄ ex creatura panis est, accepit, et gratias egit, dicēs: Hoc est corpus meum. Et calicem similiter, qui ex ea creatura secundum nos sanguinem suū confusus est, & noui testamenti, nouam docuit oblationem, quam ecclesia ab apostolis accipiēs, in vniuerso mundo offert deo.

Verum quia hæretici vt sunt impudentes, patrum testimonia pro nihilo ducunt, nisi scripturis sanctis & ijs claris nitantur, operæ precium duxi, scripturas & eas apertas adducere, quibus ostendemus missam sacrificiū esse, q̄ bus contraire nemo poterit, nisi pertinax esse hæreticus voluerit. Et q̄a dedita opera Cyprianum subinde citauimus, cuius authoritati plurimum tribuit ecclesia, qui & omnes, siue doctrina siue eloquētia spectentur, hæreticos longo post se relinquit interuallo, rursus lubet verba eius afferre, quibus apertissime, & id q̄dem manifestis scripturis, docet missam esse sacrificium. Nam tribus locis potissimum vir ille de eucharistia disputat, nempe libro secundo epistolarum epistola tertia, sermone quinto de lapsis, & sermone de cœna domini, Et quū vbi-

que sui similis sit, ubique etiam gladio spiritus
 nostros confodit hæreticos. Libro secundo epi-
 stolarum scribens Cæcilio de sacramento do-
 minici calicis, docet per multas patrum vete-
 ris testamenti similitudines & prophetarum
 testimonia hoc ante fuisse significatum. Nec
 calicem cum aqua siue vino recte offerri, nec
 vinum absque aqua iuxta Christi traditionem
 consecrari posse. Admonitos, inquit, nos scias,
 vt in calice offerendo dominica traditio serue-
 tur, neq; aliud fiat a nobis, quam quod pro no-
 bis dominus prior fecit, vt calix qui in comme-
 morationem eius offertur, mixtus vino offera-
 tur. Nam quum dicat Christus, ego sum vitis
 vera, sanguis Christi non aqua est vtiq; sed vi-
 num. Nec pōt videri sanguis eius, quo redem-
 pti & viuificati sumus, esse in calice, quando
 vinum desit calici, quo Christi sanguis ostendi-
 tur, qui scripturarum omnium sacramento ac
 testimonio prædicatur. Inuenimus enim & in
 Genesi sacramentum circa Noe hoc idem præ-
 cucurrisse, & figuram dominicæ passionis il-
 lic extitisse, quod vinum bibit, quod inebria-
 tus est, quod in domo sua nudatus est, quod fuit
 recubans nudis & patentibus scemoribus.
N O E ergo typum futuræ veritatis offen-
 dens, non aquam sed vinum bibit, & sic ima-
 ginem dominicæ passionis expressit. Item
 in sacerdote Melchisedech, sacrificii domini-
 ci sacramentum præfiguratum videmus, se-
 cundum quod scriptura diuina testatur & di-
 cit: **Et MELCHISEDECH** rex

De conse,
dist. 2. c. 1.

Ioh. 15.

Gen. 9.

Gen. 14.

Psal. 109

Pou. 9.

Salem, protulit panem & vinum. Fuit autem sacerdos dei summi & benedixit Abraham. Quod autem Melchisedech typū Christi portaret, declarat spiritus sanctus in psalmis ex persona patris ad filium, dicens: Ante luciferum generavi te. Iuravit dominus & non poenitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Qui ordo utique hic est de sacrificio illo veniens & inde descēdens, quod Melchisedech sacerdos dei summi fuit, quod panem & vinū obtulit, quod Abraham benedixit. Nam quis magis sacerdos dei summi, quam dominus noster Iesus Christus, qui sacrificiū deo patri obtulit. Et obtulit hoc idem quod Melchisedech obtulerat, id est, panem & vinū suū, scilicet corpus & sanguinē. Et paucis de benedictione Melchisedech & si de Abraham interpositis, secutus adiungit: Ve ergo in Genesi per Melchisedech sacerdotem benedictio circa Abraham possit rite celebrari, præcedit ante imago sacrificij in pane & vino scilicet constituta. Quam rem perficiens & adimplens dominus panem & calicem mixtū vino obtulit, & qui est plenitudo veritatem figuratæ imaginis adimplevit. Sed & per Salomonem spiritus sanctus typum dominici sacrificij præmōstrat immolatæ hostiæ panis & vini, sed & altaris & apostolorum faciēs mentionem: Sapiētia, inquit, ædificauit sibi domū, & subdidit columnas septem. Mactauit suas hostias, miscuit in cratere vinum suum, & parauit mensam suam. Et misit seruos suos conuocās cum excelsa prædicatione ad craterem

dicens: Qui est insipiens declinet ad me, & in-
 digentibus sensu dixit: Venite & edite de me-
 is panibus, & bibite vinum quod miscui vo-
 bis. Vinum mixtum declarat, id est, calicē do-
 mini, aqua & vino mixtum, prophetica voce
 denunciatur, vt appareat in passiōe dominica id
 esse gestum, quod fuerat prædictum. In bene-
 dictiōe quoq; Iudæ hoc idem significatur, vbi *Gene. 49.*
 scriptura dicit: Lauabit in vino stolā suā, & in
 sanguine vultus amictum suum. Quando autem
 sanguis vultus dicitur, quid aliud quam vinum
 calicis dominici sanguinis ostenditur? Nec nō
 & apud Esaiam hoc idem. Spiritus sanctus
 de domini passione testatur dicens: Quare ru- *Esai. 62.*
 bicunda sunt vestimenta tua, & indumenta
 tua velut a calcatione torcularis pleni & per-
 calcati? Nunquid rubicunda vestimenta aqua
 potest facere, aut in torculari aqua est, quæ pe-
 dibus calcatur vel prælo exprimitur? Vini vti-
 que mentio est, & ideo ponitur, vt domini san-
 guis vino intelligatur. Et quod in calice domi-
 nico postea manifestatū est, prophetis annuci-
 antibus prædicatur. Torcularis quoque cal-
 catio & pressura taxatur, quia quomodo ad
 potandum vinum veniri non potest, nisi bo-
 trus calcetur ante & prematur: sic nec nos san-
 guinem Christi possemus bibere, nisi Christus
 calcatus prius fuisset & pressus, & calicem
 prior biberet, quem credentibus propinaret.
 Et post pauca: **CHRISTI** verbis, qui *Matth. 26.*
 bushoc sacramentum conficitur, recitatis, di-
 cit: Vnde apparet sanguinem **CHRISTI**
 non offerri, si desit vinum calici, nec sacrifici-

Z

um dominicum legitima sanctificatione celebrari, nisi oblatio & sacrificium nostrum responderit passioni. Quomodo autem de creatura vitis novum vinum cum Christo in regno patris bibemus, si in sacrificio dei patris & Christi vinum non offerimus, nec calicem domini dominica traditione miscemus? Et quia non est animus totam Cypriani recitare epistolam, in summa tantum dicemus quæ Cyprianus pro nobis affert. Nam omnia eius verba enarrare nimis longum esset, maxime cum opera eius, teste Hieronymo, sole sint clariora. **P A V L I** enim verba adducit, quæ supra posuimus ex priori epistola Corinthiorum, quæ satis cumulate explicat. Deinde regium prophetam testem citat, per quem spiritus sanctus faciens mentionem dominici calicis dicit: **Calix tuus inebriās perquam optimus. Calix autē qui inebriat, utique vino mixtus est. Neque enim aqua inebriare quemquam potest. Sic autem calix dominic⁹ inebriat, ut & Noe in Genesi vinum bibens inebriatus est. Sed quia ebrietas dominici calicis & sanguinis nō est talis, qualis est ebrietas vini secularis, quū diceret spiritus sanctus in psalmo, calix tuus inebrians, addidit perquam optimus, quod scilicet calix dominicus sic inebriat, ut sobrios faciat, ut mentes ad spiritalem sapientiam redigat. Et paulo post addit. Nam si **I E S V S . C H R I S T V S** dominus & deus noster ipse est summus sacerdos dei patris, & sacrificium deo patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille**

Hieron. In
cata. illus.
viro.
2. Cor. 11.

Psalm. 22.

sacerdos vice Christi vere fungitur, q̄ id quod
 CHRISTVS fecit, imitatur. Et sacrifici-
 um verū & plenū tūc offert in ecclesia deo pa-
 tri, si sic incipiat offerre, secūdum quod ipsum
 CHRISTVM videat obtulisse. Multa p̄-
 terea subnectit Cyprianus, quibus prudens su-
 per sedeo, q̄a totius epistolæ vnicus ille est sco-
 pus, nec calicem cum aqua sine vino, nec vi-
 num absque aqua recte offerri posse aut con-
 secrari, eucharistiamque recte dici sacrifici-
 um. Hanc epistolam Augustinus libro quarto
 de doctrina Christiana librum appellat dicēs:
 Beatus Cyprianus summissio dicendi genere
 vtitur in eo libro, vbi de sacramēto calicis dis-
 putat. Deinde ponit Augustinus verba eius
 quæ modo commemorauimus.

Aug. li. 4.
 de doct.
 Chris. ca.
 23.

¶ Sufficerent quidem ea quæ ex Cypri-
 ano attulimus ad faciendam fidem huius rei,
 de qua impresentiarum nobis sermo est. Ve-
 rum quia natura ita comparatum est, vt pleri-
 que aures facilius accommodent hæreticis q̄
 ecclesiasticis, quorum damnatio iusta est, vi-
 sum est paucis ostendere alios patres non di-
 uersum a Cypriano sentire, sed omnino pedi-
 bus, vt dicitur, in eius sententiam ire. Inter
 quos nō vltimum locum tenet Chrysostomus,
 qui in Matthæum scribens etiam hoc dicit.

Chry. ho.
 83. in Mat

Sicut in veteri lege, eodem hic modo in bene-
 ficio reliquit, memoriam mysteriorum colli-
 gendo, & hinc hæreticorū ora frenādo. Nā q̄n
 dicunt, vnde patet immolatum Ch̄m fuisse,
 & alia multa mysteria, hæc enim afferentes

Z 2

ora ipsorum consuimus. Si enim mortuus Iesus non est, cuius symbolum ac signum hoc sacrificium est? Vides quantum ei studium fuerit, vt semper memoria teneamus, pro nobis ipm mortuum fuisse. Nam quoniam Marcion, Valentinus, Manichæus, eorumque sequaces, negaturi erant hanc dispensationem in memoriam passionis, per hoc semper ita reducit mysterium, vt nemo nō insanus seduci possit. Ita per sacratissimam istam mensam, & saluat & docet, hoc enim caput bonorum omnium est. Astipulatur his Augustinus, qui non semel missam sacrificium asserit, sed pluribus in locis voluminum suorum apertissime idem ex scripturis demonstrat. Contra aduersarium legis & prophetarum cumulatissime de hoc disserit in hunc modum scribens; Sane de apocryphis istis posuit testimonia, quæ sub nominibus apostolorum Andreae Iohannisque conscripta sunt. Quæ si illorum essent, recepta essent ab ecclesia, quæ ab illorum temporibus per episcoporum successiones certissimas vsq; ad nostra & deinceps tempora perseuerat, & immolat deo in corpore CHRISTI sacrificium laudis, ex quo deus deorum loquutus vocauit, terram a solis ortu vsque ad occasum. Cætera quæ prosequitur Augustinus supra posuimus, idcirco nunc ea missa faciemus. Et libro vigesimo contra Faustum eadem confirmat, quæ etiam supra cōmemorauimus. Vñ duntaxat adhuc locum ex Augustino citabo, Nam libro decimo de ciuitate dei capite vigesimo, nostra confirmans sic scribit, Vnde ve-

Aug. con.
ad i. leg.
& proph.
li. 2. ca. 32.

Sup. ca. 6

August. l. ii.
20. de ciuitate
dei ca. 20.

rus ille mediator, in quantum formam serui accipiēs, mediator effectus est dei & hominum, homo Christus Iesus, quum in forma dei sacrificium cum patre sumat, cum quo & vnus est deus, tamen in forma serui, sacrificium maluit esse quam sumere: ne vel hac occasione quisquam existimāret cuilibet sacrificandum esse creaturæ. Per hoc & sacerdos est ipse offerēs, ipse & oblatio. Cuius rei sacramentum quotidianum esse voluit ecclesiæ sacrificium, quū ipsius corporis ipse sit caput, & ipsius capitis ipsa sit corpus, tam ipsa per ipsum, quam ipse per ipsam suetus offerri. Huius veri sacrificij multiplicia variaq; signa erant, sacrificia prisca sanctorum, quum hoc vnum per multa figuraretur, tanquam verbis multis res vna diceretur, vt sine fastidio multum commendaretur, huic summo vero sacrificio cuncta sacrificia falsa cesserunt. Et alias de missa scribit Augustinus dicens, Iteratur quotidie hæc oblatio, licet **CHRISTVS** semel passus sit, Quia quotidie labimur, Christus pro nobis quotidie immolatur. Et iterum, Eucharistia est oblatio benedicta, per quam benedicimur, ascripta, per quā oēs in cœlo ascribimur, rata per quam in visceribus Christi censemur. Plures Augustini de hoc habes autoritates in decretis de conse. dist. 2.

¶ Vides igitur quam multis locis Augustinus vir sanctissimus idemq; doctissimus nobiscum sentiat, & scripturis canonicis efficacissime probet missam esse sacrificium, vt

vel solus sufficeret ad faciendam huius rei fidem, etiam si nemo alius de ea scripseret. Nec ab eo discrepat Ambrosius quum dicit: Quanta cordis contritione & lachrymarum fonte, quanta reuerentia & tremore, quanta corporis castitate & animi puritate, istud diuinum & celeste mysterium est celebrandum domine, vbi caro tua in veritate sumitur, vbi sanguis tuus in veritate bibitur, vbi summa imis, humanis diuina iunguntur, vbi adest sanctorum praesentia angelorum, vbi tuus sacerdos & sacrificium mirabiliter & ineffabiliter. Hunc imitatus

Gregorio.
de col. dist.
24. ca. Quis

beatus Greg. non tam idem dicit, sed etiam idem fere eisdem verbis affirmat. Dicit enim: Quis fidelium dubitare possit, in ipsa immolationis hora, ad sacerdotis vocem caelos aperiri, in illo CHRISTI mysterio angelorum choros adesse, summis ima sociari, terram caelestibus iungi, vnum quid ex visibilibus & inuisibilibus fieri. Et alio: Haec namque singularis victima, ab aeterno inferitu animas soluit, quae illam nobis mortem vnigeniti reparat. Hinc ergo pensemus, quale sit pro nobis istud sacrificium quod vnigeniti filij passionem semper imitatur. Quum igitur tot tantique viri, qui literas aequarunt cum vitae sanctimonia, haec in re conueniant, & vno ore missam sacrificium esse fateantur, nec id sine scripturis proponant, & per missam non tantum coenam (id quod contendit LV THER V S cum sequacibus suis) verumetiam Christi passionem commemorari, & oblationem quam in cruce se

cit illic repræsentari, non possum equidem satis mirari hæreticorum audaciam præsumptionemque, qua tanto supercilio veterum doctrinam audeant reprehendere, ac rescindere impudenter ea, quæ magno consensu approbavit antiquitas, & reclamante mundo, cornicū (ut dicitur) oculos configere. Quid quod & ipsum nomen Missah indicat eucharistiam esse sacrificium. Missah enim vocabulum hebræū est, latineque interpretatur oblatio siue sacrificium. Vnde vbi Deuteronomij 16. dicitur, oblationem spontaneam manus tuæ quam offeres iuxta benedictionem dei tui, dicitur in Hebræo Missah. Missah igitur neque latinum neque græcum, sed hebraicum vocabulum est, & quia missam apostoli & eorum successores in sola lingua hebraica celebrauerunt, adhuc nomen suū retinet. In historia quoque ecclesiast. quā tripartitam vocant, ipsum nomen missæ aperte legitur. Nam libro 4. ca. 13. dicitur, quod Constantius Constantini Magnifilius CONSTANTINOPOLIM venit, & Paulum episcopum ciuitate expulit, Macedonum autē distulit statuere vrbis episcopum, & promittens eum missas facere solum in ecclesia in qua fuerat ordinatus, denuo profectus est Antiochiam. Sæpius quoque missæ vocabulum in illis ecclesiasticæ historiæ libris inuenitur. Quin & traditio missæ non in angulo aliquo aut vna parte mūdi, sed per totū orbem in hūc vsq; diē annis plus mille quingētis obseruata satis docet missam esse sacrificium a Christo

Missah.

institutum, etiam si nihil de hoc scriptū esset. Plus ergo standum est scripturis, patribus, ecclesiæ decretis, quam venenatis ac insanis hereticorum dogmatibus.

¶ Perspiciamus nunc quam validas atq; prorsus herculeas rationes & eas ex scripturis diuinis nobis opponant. Neq; enim folium Sybillæ recitāt, aut oraculum Phœbi, aut aliud quidpiam de tripode dictum afferunt, sed euangelium proponunt, homines scilicet euangelici verba Christi & Pauli buccis crepantibus trutinant. Fieri enim non potest, vt veracius se hereticos esse demonstrent, quam per huiuscemodi deprauationem scripturarum, quia in hoc ludo omnes conueniunt. Sciunt, inquit Chrysostomus, pestilētes illi, quod impostoribus peculiare est, verisimilia quædam & egregia, & q̄ vix internosci queant, componere, per q̄ simpliciores decipiunt, sicut piscatores & aucupes non nudis retibus, sed circumcirca diligenter inescatis vtuntur, ita alia alijs venando. Enimvero si retia detegātur nihil capiūt, & licet diu assideant, vacuis tñ manib. domū eadē redeūt, siue terra siue mari venētur. Et Epiphanius: Manichæi Gnostici & cæteræ pestes hæreticorum semper de purissimo scripturarum fonte assumpserunt testimonia, sed non ita interpretari sunt, vt scripta sunt, imo simplicitatem sermonis ecclesiastici, id volunt significare, quod ipsi sentiunt. Quasi vero difficile sit ex truncatis scripturis aliquid reperire quod offēdat. Omnibus ergo modis veteres & da-

Chry. ser.
de sanct.
Babylo.
marty.

Epiph. ep̄i
sco. Cypri
ad Io. Hie
roso. ep̄is.

mnatos hæreticos in explanatione scripturarū
nostri temporis hæretici exprimunt, inter quos
tamen arcem tenet Lutherus, qui nec nudis reti-
bus venatur, sed circumcirca diligenter in esca-
tis imo venenatis vtitur, quibus ceu diabolicis
præstigijs simplices circumueniat & in fraudē
pelliceat. Missa, inquit in captiuitate Babylo-
nica, est testamentum, dicente Christo: Hic est
sanguis meus noui testamenti, q̄ pro multis ef-
fundet in remissionē peccatorū, ergo nō ē sacri-
ficiū neque opus bonū. Ad hæc Apostolus, in-
quit, sic scribit Hæbris: Ois quidem sacerdos
veteris scilicet legis, præsto est, quotidie mini-
strans, & easdem sæpe offerēs hostias, quæ nun-
quam possunt auferre peccata, Christus autem
vnam pro peccatis offerens hostiam in sempi-
ternum sedet in dextera de cætero expectans
donec ponantur inimici eius scabellum pedum
eius. Vna enim oblatione consummauit in
sempiternum sanctificatos. Præter hanc ergo
vnam nulla est alia in noua lege oblatio, nullū
ve sacrificiū. Proinde missa esse non potest
oblatio siue sacrificiū.

¶ Hæc sunt retia quæ Lutherus necit in-
cautis, quæ nunc detegamus, necessum est. Fru-
stra namque, ait SAPIENS, iacitur rete an-
te oculos pennatorum. Primum itaque expli-
cābimus primū sophisma, quo satis inepte nu-
gatur missam non esse sacrificiū, quia est te-
stamentum. Rogo hic Lutherum, vbi nam le-
gerit missam esse testamentum? Respondebit
haud dubie apud Mattheum & Marcum. At
nec Matheus nec Marcus referunt Christum

Matt. 26.
Marci. 14.
Luc. 22.
Heb. 10.

Pro. 2.

Nouū te-
stamentū.

Heb. 8.
Hiere. 31.

Heb. 9.

hoc dixisse. Sic enim habent, Hic est sanguis meus noui testamenti, non hic sanguis meus est nouum testamentum. Cur hic vim facit verbis Christi, quæ aperte indicant, aliud esse sanguinem Christi, aliud nouum testamentum? Nouū enim testamentum, non est Christi sanguis, sed eius euāgelium scriptum in cordibus fidelium, quemadmodum lex scripta in tabulis lapideis, testamentum vetus dicebatur, sicut Apostolus ad Hebræos scribens ex Hieremiæ vaticinio docet, quum dicit, Ecce dies venient dicit dominus, & consummabo super domum Israel & super Iuda testamentum nouum, non secundum testamentum quod feci patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem illos de terra Aegypti, quoniā ipsi non permanserunt in testamēto meo, & ego neglexi eos, dicit dominus. Quia hoc est testamentum quod disponam domui Israel post dies illos, dicit dominus. Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum superscribā eas. Et ero eis in deum, & ipsi erunt mihi in populum. Et post pauca, Propitius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum eorum iam nō memorabor. Dicendo autem nouum, vetera uit prius. Et hoc nouum testamentum, Christi morte confirmatum est. Vbi enim testamentum est, ait idem Apostolus, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioqui nondum ualere, dum uiuit qui testatus est. Ex his Apосто

li verbis liquido constat, missam ratione eorum quæ CHRISTVS in cœna gessit, seclusa eius morte, nullo pacto dici posse testamentum. Quod si mortem eius qua se deo patri obtulit, incluseris, ne adhuc quidem testamentum, sed verum potius erit sacrificium.

Mors quippe testatoris non est eius testamentum, sed testamenti sui confirmatio. Quum ergo CHRISTVS diceret, hic est sanguis meus noui testamenti, non intendebat dicere sanguinem suum esse nouum testamētum, sed significare voluit sanguine suo, quem effusus ruserat in remissionem peccatorum, confirmā dum esse nouum testamentum, quemadmodū vetus pecudum sanguine confirmatum fuit, et ideo sanguis testamenti dicebatur. Vnde dicit Apostolus, Lecto omni mandato legis a

Heb. 9.

Exod. 24.

Mose vniuerso populo, accipiens sanguinē vitulorū & hircorū cū aqua & lana coccinea et hysopo, ipsum librū & omnem populum aspersit, dicens: Hic est sanguis testamēti quod mandauit ad vos deus. Sicut ergo lex scripta in tabulis lapideis & libro, erat vetus testamentum, pecudum sanguine confirmatum, ita & lex euangelica indita fidelium cordibus, nouum est testamentum CHRISTI sanguine confirmatum. Quam ob causam CHRISTI sanguis non est nouum testamentum, quū hoc ipsum ex MATTHAEO & MARCO colligi non possit, qui dicunt ipsum esse sanguinem noui testamenti, vel quia ipsum representat, vel quia

confirmat. Nec ab his discrepant Lucas et Paulus, quum dicunt: Hic est calix nouū testamentum in meo sanguine. Neq̄ em̄ simpliciter asserūt calicem aut sanguinem esse nouū testamentum, sed calicem illum per Christi sanguinem qui in eo continetur, esse noui testamenti representationem & confirmationem. Hoc est quod habet Innocentius tertius, scribens in hæc verba: Præterea nō solum scriptura, sed etiā promissio dicitur testamentum, iuxta quod Apostolus ipse scribit. Ideo noui testamenti mediator est, vt repromissionē accipiant, q̄ vocati sunt, hæreditatis æternæ. Sic ergo intelligi debet, quod in ip̄o canone reperit. Hic est em̄ sanguis meus noui & æterni testamenti. i. nouæ et æternæ promissionis, s. cōfirmator, sicut dñs repro-mittit. Qui manducat (inquiens) carnem meā & sanguinem meū bibit, habet vitā æternā. Hæc Innocentius.

¶ Satis abunde (nisi me mea fallat opinio) nunc ostendimus missam non esse testamētum in quo fidelibus hæreditas æternæ salutis promittitur, vt Lutherus contendit, sed potius verum atq̄ adeo vnicum nouæ legis sacrificium noui testamenti confirmatiuum. Quod si verū est, velit nolit Lutherus nobis cōcedat, necesse est, missam esse opus bonū, nisi forte vsq̄ adeo insaniat, vt etiam ip̄os actus orandi, cōsecrandi, sacrificandi, & consimiles religionis actus neget esse opera bona. Hic quoq̄ non oscitāter consideranda sunt Christi verba, q̄bus præ-dixit sanguinem suum effundendū, non autem sumendum in remissionem peccatorū. Effusus

estem sanguis Christi in remissionē peccatorū,
 vt ex ipso sacramenta baptismi potissimum
 & poenitentię virtutem sortirentur, qua pecca-
 ta remitterentur. Non autem sumendum dixit
 in remissionem peccatorum, quia sumi debet
 p̄grua confessione, cum pura cōscientia & cor-
 de contrito, iuxta doctrinā Pauli dicentis: Pro-
 bet autem seipsum homo, & sic de pane illo e-
 dat, & de calice bibta. Qui enim manducat &
 bibit indigne, iudicium sibi manducat & bi-
 bit, non d̄judicans corpus d̄ni.

¶ Discat igitur cautus lector & auditor de-
 prehendere insidias, & cuniculos quibus veri-
 tas subuertitur euitare, ne implicetur diaboli
 laqueis, quos incautis nectit Lutherus in capti-
 uitate Babylonica, vbi p̄parationem nouā &
 hactenus inauditam docet ad eucharistię sumi-
 ptionem, videlicet vt quis cum qualicunq; cō-
 scientia quantumuis erronea, & peccatorum ti-
 millatione turbatam, audacter accedat, & sa-
 cramentalem medicinam accipiat in remissio-
 nem peccatorū suorū & gratiam consequatur.
 Non hoc docuit Paulus, non Christus. Luthera-
 num est, hoc est, h̄reticum, non Christianum.
 Longe aliter orthodoxis patribus visum est.

Tu, inquit Cyprianus, si templum spiritus san-
 cti violas, si intra te sacrarium dei deturbas &
 fœdas, si cum calice Christi de calice dæmoni-
 orum cōmunicas, contumelia est, non religio,
 iniuria, non deuotio. Idolorum seruitus & hor-
 renda abominatio, velle simul Baal famulari
 & Christo. Abi retro cum sacellis tuis, qui lu-
 cris inhias, & mercedes sectaris, qui opulentus

Cypr. ser.
 de cœna
 d̄mini.

in Sion quotidie crapularis, qui in lectis eburneis recubas, & in stratis segmentatis lasciuus, qui vestiris mollibus, et in terra suauiter viuendum conuersaris, cuius manus plenæ sunt sanguine, cuius lumbi discincti sunt, & sine baltei discurre ligamine. Non est tibi pars in sermone isto, quia quod dei est, aufers deo, & imaginem dei, consecras idolo. Pauperes quidem spiritu ad hoc mysterium eligit & diligit spiritus sanctus, & eorum qui pompaticè & gloriose sacris se altaribus ingerunt obsequia detestatur. Ozias licet rex ob præsumptionem lepra percussus a sanctuarij ingressu repellitur, & eius oblatio quasi sordida refutatur. Incens odor de immundorum manibus reputatus est pro foetore, & iram non gratiam præsumptio meruit, quia contra fas rem vsurpans illicitam, temerarie in sancta conscendit. Sed & propter malignantiũ insolentiã altare suũ deus repellit & sanctificationibus maledicit, odit sabbara, abominatur solennia, odoramenta foetent, displicent holocausta. In his omnibus laborare se dicit deus, nec esse voluntatem suam in ministris impuris, indignatione districta testatur. Sed Hierarcha pius, quem spiritus sanctus compungit, excitat, inhabitat, & sanctificat, eleuatione manuum crucis mysterium representans, confidenter orat pro sua & populi ignorantia, recolens pudibundi & contriti animi confessione, quod aliquando, præualente aduersum se peccato, fuerit derelictus. Et hæc quæ de sacerdotibus ac ministris huius sacramenti beatus martyr dicit: quam dignam aut præ-

2. Par. 26

Eleuatio
manuum
quæ fit a
sacerdote
in missa.

parationem exigat a sumentibus, testatur alio loco vbi exemplis docet eos qui indigne eucharistiam accipiunt, non cibum, sed gladium sibi sumere, & velut quædam venena lethalia intra fauces & pectus admittere. Quum quædam inquit, arcam suam (de lapsis sentit) in qua domini sanctum fuit, manibus indignis tentasset aperire, igne inde surgente deterrita est, ne audeat attingere. Et quidam alius & ipse maculatus, sacrificio a sacerdote celebrato, partem cum cæteris ausus est latenter accipere, sanctum dei edere, & contrectare non potuit, cinerem ferre se apertis manibus inuenit. Multa præterea Cyprianus illic recenset miracula, quibus docet eos immundis spiritibus adimpleri, qui indigne ad eucharistiam præsumunt accedere.

Huic consentiunt omnes patres. Vnde Hieronymus contra Iouinianum de nuptiis differens, ait: Oro te, quale illud bonum est, quod orare prohibet, quod corpus Christi accipi non permittit? Panes propolis, quasi corpus Christi de uxore cubilibus edere non poterant. Et lib. 2. aduersus Iouinianum: Opponis mihi Gomor manna, quasi non & nos Christi corpus æquæ accipiamus. Vna est in mysteriis sanctificatio, domini & serui, nobilis & ignobilis: quæ pro accipientium meritis, diuersum fiat quod vnum est. Qui enim indigne manducat, iudicium sibi manducat & bibit. Nunquid ergo & Iudas de eodem calice bibit, vnius cum reliquis erit meriti? Hic Hieronymus coniuugatos post concubitum coniugalem non admittit ad eucharistiam, qui tamē si pro creandi gratia fiat, culpam non habet. Nam hæc esse eius sententiam, vel ex eo liquet, quod

Hiero. lib.
1. aduer.
Iouinia.
1. Cor. 7.

1. Cor. 11.

habet in apologia pro libris aduersus Iouinianum ad Pammachium, vbi dicit: Scio Romæ hanc esse cōsuetudinem, vt fideles semper corpus Christi accipiant, quod nec rephendo nec probo. Vnusquisq; enim in sensu suo abūdat. Sed ipsorū conscientiam conuenio, q̄ eodē die post coitum communicant, & iuxta Persium, noctem flumine purgant, quare ad martyres ire non audent? Quare non ingrediuntur ecclesias? An alius in publico, alius in domo Chr̄s est? Quod in ecclesia non licet, nec domi licet.

Rom. 14. Probet se vnusquisq; & sic de pane illo edat, & de calice bibat, non quod dilatæ cōmunionis vnus dies aut biduū sanctiorē efficiat Christianum, vt quod hodie non merui, cras vel perendie merear, sed quod dum doleo me nō communicasse corpori Christi, abstineam me paullisper ab vxoris amplexu: vt amoris coniugis amorem Christi præferam. Longe aliam probationem ac præparationem docet Hieronymus, quam Lutherus.

¶ Quamuis autē iam satis aperte ostensum sit, missam nō esse testamentum, id quod & Lutherus ipse (modo veritati aures accommodare vellet) fateri cogeretur, propter eos tñ, q̄ ipsius doctrina decepti ceu diaboli laqueis intricati, aduersus sacrosanctū missæ sacrificium, admittunt missam esse testamētum, visum est inane eorū machinam quā ex hoc falso fundamento summo nisu aduersus missam erigere conantur, mouere & ad solum vsq; deſcendere, vt eo magis veritas elucescat. Quidam igitur ex discipulis Lutheri hunc in modum colligēdo,

missam non esse sacrificium ostendere machinatus est. Testamenti confirmatio a morte testatoris pendet. At missa non est nisi nouum et prorsus diuersum testamentum. Veniat ergo Christus, & altera morte nouum hoc testamentum, vel potius infinitis mortibus innūera missarum testamenta rata faciat. Hæc machina nō super solidam petram, sed super arenam extructa, per se ruit, & ex p̄dictis velut falsitas euā nescit. Concedimus enim cum Apostolo testamenti cōfirmationem, ex morte testatoris pendere: sed etiam cū eodem negamus ipsam mortem testatoris eius esse testamentum, sed magis testamenti confirmationē aut cōfirmatricem. Docet hoc aperte Apostolus, cuius hæc sunt verba. Vbi est testamentum, mors necesse est intercedat testatoris. Testamentum enim in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dū viuit qui testatus est. Vides hic Apostolum manifeste discernere inter hæc tria, testamentum, testatorem & mortem. Testator enim dum viuit condit testamentū, sed eo adhuc viuente manet inualidum, i. nondum confirmatū. Ideo dicit Apost. alioqui nondū valet dum viuit, q̄ testatus est. Sed ipsa mors superueniens testamentum iam conditum confirmat. Ergo dicit: Testamentum enim in mortuis confirmatum est. Testamentum ergo mediū est inter testatorem aut conditorem testamenti & mortem ipsum confirmantem, & ab vtroq; sicut res diuersa differt. Missa autem non est testamentum, sicut supra ostensum est, sicut nec mors Christi, quæ testamentum eius confirmat. Vnde nec necesse

est Christum in missa mori, vt missa tanquam testamentum morte eius cōfirmeretur. Missa em̄ (vt diximus) sacrificium est in cruentū quod offertur in memoriam eius sacrificij cruenti quod Christus obtulit in cruce. Non ergo necesse est, vt Chr̄us veniat, & altera morte hoc testamentum, aut infinitis mortibus innumera missarum testamenta rata faciat, quum missa non sit testamentum, neque innumera missa innumera testamenta: sed vna missa & innumera missa, vnum & idem sunt sacrificium in cruentum, quod Christus semel obtulit in cruce cruentum.

¶ Et hæc quidē de testamēto disputatio sufficiat, nūc quod secūdo loco ex Paulo propositū est, diluamus oportet, quo conantur probare nullam oblationem aut sacrificium esse in ecclesia, præter eam oblationē, qua vna consummauit Christus in sempiternum sanctificatos, sicut dicit Apostolus. Huic argumento, quod veluti nouum iactant hæretici, olim ab Augustino responsum est. Sic enim dicit libro sententiarum Prosperi: Semel immolatus est in semet ipso Christus, & tamen quotidie immolatur in sacramento. Quod ita intelligendum est, quia in manifestatione sui corporis, in distinctione suorum membrorum omnium, verus DEVS & verus homo, semel tantum in cruce pependit, offerens patri seipsum, hostiam viuam & passibilem, mortalem, viuorum & mortuorum redemptionis efficacem: eorum scilicet quos altitudo diuini consilij redimendos iudicauit, præsciuit, prædestinavit, vocauit modis atque

De conse.
dist. 2. ca.
Semel.

tēporibus, quibus id fieri congruebat. Et aper-
tius Ambrosius. In Christo Iesu semel oblata est ho-
stia ad salutem sempiternam potens. Quid er-
go nos? Nonne per singulos dies offerimus?
Sed ad recordationem mortis eius, & vna est
hostia, non multæ. Quomodo est vna, non mul-
tæ? Quia semel oblatus est CHRISTVS.
Hoc autem sacrificium exemplum est illius,
idipsum semper idipsum, proinde hoc idem
est sacrificium. Alioquin diceretur, quoniam in
multis locis offertur, multi sunt CHRISTI.
Nequaquam, sed vnus vbique Christus, & hic
plenus existēs, & illic plenus. Sicut enim quod
vbique offertur, vnum est corpus & non mul-
ta corpora: ita & vnum sacrificium. Pontifex
autem ille est, qui hostiam obtulit nos mun-
dantem. Item ipsam offerimus etiam nūc, quæ
tunc oblata est, consumi non potest: quod nos
facimus in commemorationem fit eius, quod
factum est, hoc enim facite, ait, in meam com-
memorationem. Hactenus ille.

¶ Rationes duas quotidianæ huius sacri-
ficij reiterationis, adsignat Pascasius papa in
hæc verba de corpore & sanguine CHRIS-
TI scribens: Iteratur quotidie hæc oblatio,
licet CHRISTVS semel passus in carne, per
vnam eandēque mortis passionem semel salua-
uerit mundum, ex qua morte idem resurgens
ad vitam, mors illi vltra non dominabitur.
Qui profecto sapientia dei patris necessariū pro
multis causis hoc prouidit. Primo quod, quia quo-
tidie peccamus, saltē in peccatis sine quibus mortalis
firmitas viuere non valet, quia licet oia peccata sint

De cōse. d.
2. ca. In
Christo se-
mel,

De cōse. d.
2. c. Iterat
Prima rō
Rom. 6.

Psal. 102

a. Ioh. 1

Luc. 22.
2. Cor. 12

Rom. 6.

De conse.
dist. 2. ca.
Verū sub
figura.

donata in baptismo, infirmitas tñ p̄ peccati ad
huc in carne remanet. Vñ Psal. Benedic ani-
ma mea dño, qui propitiatur om̄ibus iniquitati-
bus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas. Et
ideo quia quotidie labimur, quotidie Christus
mystice pro nobis immolatur, & passio Chri-
sti in mysterio traditur, vt qui semel moriendo
mortem vicerat, quotidie recidiua delictorum
per hæc sacramēta corporis & sanguinis, pec-
cata relaxaret. Vnde oramus: Dimitte nobis
debita nostra, &c. quia si dixerimus, quia pec-
catum non habemus, nos ipsos seducimus, &
veritas in nobis non est. Item iteratur hoc my-
sterium, & ob commemorationem passionis
Christi, sicut ipse ait: Hoc quotiescunque fe-
ceritis, in meam commemorationem facite.
Quotiescunq; ergo hunc panem sumitis, &
bibitis hunc sanguinem, mortem dñi annūcia-
bitis, donec veniat. Non utiq; sic accipiendū
est, donec Christi mors veniat, quia iam ultra
non moritur: sed ipse dñs ad iudicium veniat.
Interim autem semper est mors Christi perse-
culi vitam posteris annuncianda: vt discant q̄
charitate dilexit suos, q̄ pro eis mori dignatus
est, cui omnes vicem rependere debemus cha-
ritatis, quia ad hoc nos prior dilexit, quum esse
mus gehennæ filij, vt diligeremus eum iam a
morte liberati. Priorem rationem iterationis
huius sacrificij adsignatam, eisdem ferme ver-
bis tradit Augustinus, dicens: Iteratur autem
quotidie hæc oblatio licet Christus semel pas-
sus sit, quia quotidie peccamus, peccatis sine
quibus mortalis infirmitas viuere non potest.

Et ideo quia quotidie labimur, Christus quotidie mystice pro nobis immolatur, &c.

Verum operaprecium fuerit considerare, quam ob causam hæretici in hac re tantis eorum tenebris sese inuoluant. Recte quidem Peripateticorum ille princeps Aristoteles: Nescientes virtutes vocabulorum, facile decipiuntur. Hoc usu venit hic hæreticis, qui in hac re haud obscura, velut in luce, æquocationis sophismate circumuenti, cæcutiunt. Existimant enim aliud altaris, aliud crucis esse sacrificiū, quum tamen idem numero sit sacrificium, quæ idem corpus & idem sanguis, imo idem ipse Christus, qui & in cruce oblatus est, & quotidie offertur in altari. Sed in modo offerendi magnum est discrimen. In cruce enim semel oblatus est corporaliter, quia ipse voluit: in altari quotidie offertur sacramentaliter, quia ipse sic instituit. In cruce oblatus est in mortem, in altari offertur in mysterio mortis, iuxta illud: Quotiescunq; manducabitis panem hunc et calicem bibetis, mortem domini annuntiabitis. Ob hunc ergo geminum offerendi modū, geminam quoq; ponimus Christi oblationem, vtramq; tamen veram, ac realem, quandoquidem in vtraque Christus vere & realiter offertur, & proinde vnica est oblatio ex parte oblati siue rei quæ offertur, & eadem gemina, ex duplici offerendi modo. Verum altera, hoc est, crucis, corporalis est & eruenta, altera quæ est altaris, sacramentalis & ineruenta. In cruce

Esa. 53
Luc. 22

1. Cor. 11.

CHRISTVS semel moriens, se-

ipsum non sub sacramentalibus, sed sub proprijs corporis & sanguinis speciebus, deo patri obtulit in precium redemptionis humani generis, sicut dicit Apostolus: Vna oblatione consummavit in sempiternum sanctificatos. In quibus quidem verbis ostendit Apostolus sublimitatem dignitatemque huius sacrificij super omnia legis sacrificia, quæ non habebant sempiternam virtutem, & idcirco quotannis iterabantur. Virtus huius hostiæ in cruce oblatae, permanet in æternum. Quare

Roma. 6. CHRISTVS resurgens ex mortuis, iam non moritur, nec mors illi ultra dominabitur. Quod enim mortuus est peccato, mortuus est semel: quod autem vivit, vivit deo. De hac oblatione Apostolus alibi scribens ait:

Eph. 5. CHRISTVS dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis oblationem & hostiam deo in odorem suavitatis. Huius oblationis typus ac umbra fuit agnus ille paschalis. Quæ admodum enim ille iuxta legis edictum singulis annis semel tantum in paschate Iudæorum offerebatur in memoriam liberationis Israelitici populi de Aegyptiaca servitute: ita

1. Cor. 5. & pascha nostrum CHRISTVS pro nobis immolatus, verus agnus noster paschalis, qui tollit peccata mundi, agnus, inquam, occisus in vmbrijs figurarum ac sacrificiorum ab origine mundi, semel obtulit semetipsum, liberans populum Christianum, qui est Israel secundum spiritum de diabolica potestate ac servitute. Vitas huius præstantissimæ ob-

Iatiōis adumbrata fuit in lege Mosaica in hoc, quod non nisi semel in anno legalis pontifex cum oblatione solenni intrabat in sancta. Sic CHRISTVS quoque pontifex futurorum bonorum, vt dicit Apostolus, per proprium sanguinem semel introiuit in sancta, æterna redemptione inuenta. Hanc oblationem adhuc repræsentat ecclesia quotannis semel duntaxat ipso die parasceues, quo nec eucharistiam conficit, nec sacrificat sacerdos, sed eucharistiam præcedenti die consecratam sumit, ne ipso die sine dominicæ passionis fructu maneat ecclesia.

Leui. 6.

Hebr. 9.

¶ Altera oblatio incruenta est (vt diximus) & sacramentalis, qua quotidie in ecclesia CHRISTVS offertur, & sumitur a sacerdotibus in missa sub specie panis & vini, in commemorationem prioris oblationis, quam CHRISTVS semel fecit in cruce. Fuit hæc oblatio potissimum præfigurata in sacrificio MELCHISEDECH, qui obtulit Abraham reuertenti a cæde quatuor regum panem & vinum. Melchisedech enim, vt supra ostēdimus, typum gessit sacerdotij & sacrificij CHRISTI. Atqui Christus in cruce pendens corpus suum & sanguinem, non sub specie panis & vini, sed sub propria ac naturali specie obtulit cruentam hostiam. Igitur in cruce nō fecit oblationē secūdū ordinē Melchisedech. Vbi nā ergo? Anteq̃

Lucæ. 22.

Gen. 14.

Exod. 12.

crucem sanctam conscenderet, comesto secun-
 dum legem domini agno paschali typico, me-
 moriam fecit mirabilium suorum sacerdos inæ-
 ternum secundum ordinem Melchisedech, &
 sine legalibus ceremonijs imposito, iam mor-
 ti vicinus & in nouiss. cœna constitutus, cū
 ijs quos in finem vsq; dilexerat, hanc nouam
 incruentam instituit oblationem lōge perfectis-
 simam, quam apostolis & eorum posteris com-
 mendans, præcepit, vt vsque ad consummati-
 onem seculi sub specie panis & vini, in memo-
 riã eius oblationis, q̄ semel in cruce peracta est
 iterarent ac frequentarent dicens: Hoc facite
 in meam cōmemorationem. Nam oblatio quæ
 in cruce facta est, semel tantum facta, neq; ite-
 ratur neq; iterari potest: sicut & Christus se-
 mel tantum mortuus est, qui nec amplius mori-
 tur nec mori potest. Est igitur in ipsa missæ cele-
 bratione, immolatio corporis & sanguinis do-
 mini sub forma panis & vini, verum sacrifici-
 um: quod proprie sacerdotio Christi competit,
 vt est sacerdos secundum ordinem Melchise-
 dech, iuxta quem modum ab ortu solis vsque
 ad occasum ipse per ministros ecclesiæ quoti-
 die offertur deo patri in expiationem peccato-
 rum nostrorum.

¶ Et hic offerendi ritus figuram habuit in
 lege in iugi illo sacrificio, quo quotidie immo-
 labatur, agnus vnus mane, & alter vespere, si-
 cut in Numeris scriptum est: Hæc sunt scripsi-
 cia, quæ offerre debetis. Agnos agniculos im-
 maculatos duos quotidie in holocaustum sem-
 piternum, vnum offeretis mane, & alterum ad

Matt. 28.

Lucæ. 22.

Rom. 6.

Num. 28.

vesperum. Et quia lex vmbra[m] habebat futurorum, & omnia sub ea in figura contingebant, consequens vtique est, vt hæc figura respondeat alicui rei figuratæ, & vmbra cedat veritati. Hinc CHRISTVS Iudæis dixit: Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit. Si autem illius literis nõ creditis, quõ verbis meis credetis? Constat autem quotidianam illam duorum agnorum oblationem, neutiquam præsignasse oblationem CHRISTI in cruce futuram, quum ea tantũ semel exhibita, quotidiano vsu repeti nõ possit. Quid ergo aliud significabat, quã quotidianam illam CHRISTI immolationem, qua in celebratione missæ sub forma panis & vini offertur? De hac gemina Christi oblatione, siue duplici offerendi modo, EUSEBIUS Emiss. ita scribit: Quia corp[us] assumptum ablaturus erat ab oculis & illaturus syderibus necessarium erat, vt in die cœnæ sacramentũ nobis corporis & sanguinis consecraret, vt cõleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebat in precium, vt quia quotidiana & indefessa currebat pro omnium salute redemptio, perpetua esset redemptionis oblatio, & perhenis victima illa viueret in memoria, & sēper p̄sens esset in gr̄a, vere vnica & perfecta hostia fide æstimāda, non specie neque exteriori censenda visu, sed interiori affectu. Vnde cœlestis confirmat autoritas, quia caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus. Recedat ergo omne infidelitatis ambiguum, quoniam quidem qui author est muneris, ipse est

Heb. 10.
1. Cor. 10.

Ioh. 5.

Eusebius
Emiss. de
cõf. dist. 2.
ca. Quia
corpus.

Heb. 9.

etiā testis veritatis. Nā inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substātiā corporis & sanguinis sui verbo suo secreta potestate cōuertit ita dicens: Accipite & comedite, & c. Sunt & alij copiosius delirantes, & missę sacrificium blasphemantes. Afferunt aut̄ pro se id quod Apo. ad Hebræos scribit, in gens: Nō in manufactis Iesus introijt exempla verorū, sed in ipsum cœlum, vt appareat nūc vultui dei pro nobis. Neque vt sepe offerat semetipsum, quēadmodum pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno, alioquin oporteret eū frequenter pati ab origine mundi. Nunc aut̄ semel in cōsummatione seculorū ad destitutionem pcti per hostiā suā apparuit. Ex his verbis Apосто. colligunt primo, præter hostiam quam Ch̄us in cruce moriens obtulit, nullā aliam in noua lege esse hostiam, & proinde missam non esse sacrificium siue hostiam. Deinde in turpiorem (absurda em̄ absurdis semper cōgruunt) incidunt absurditatē, cōtendentes Ch̄m toties oportere pati, crucifigi, vel occidi, quoties missa intētiōe sacrificiādi celebratur. Postremo cōclusionē nō dico ridiculā, sed auribus nostris horribilē & nimis impiam inferunt, dicentes sacerdotes esse occisores Christi ipsis etiā Iudęis crudeliores, q̄ Ch̄m semel crucifixerunt, isti aut̄ quotidie crucifigunt. Si doctis tm̄ scriberemus, nō opus esset resellere mēdacia ista apertiss. q̄ alioq̄ per se vane seunt, q̄ indocti & inlibiles & in fide reprobri ex doctrinā aposto. veluti ex auro lutū, nituntur colligere ad suā ipsorū perditionē. Et ex p̄dictis satis iclare scit ipsos Aposto. nō intelligere. Dicemus tñ rursum

propter simplices, quibus adhuc lacte opus est, ut
satisficiamus & sapientibus, & insipientibus, qui
hac tempestate hæreticorum strophis circumuenti
& diaboli laqueis irretiti, missam velut summam
idololatriam abominantes, in totum abrogare conatur,
& sacerdotes ipsos eum idololatrias ac Christi
interfectores, hostili animo atque Vatiniano odio
persequuntur, permittuntque potius quam flagitia
quam missam, quam nec permittunt sacerdotibus ce-
lebrare nec subditis audire.

Respondemus itaque ad singula, & dici-
mus Apost. doctrinam esse verissimam, sed eam intelli-
gendam esse de sacrificio Christi cruento, quod ipse
semel obtulit in ara crucis ad multorum exhau-
rienda peccata. At hæretici detorquent verba
Pauli ad sacrosanctum missæ sacrificium quod in
cruentum offertur in memoriam cruentæ victimæ
Si enim cruentum sacrificium sæpe reiteraretur, o-
porteret profecto Christum frequenter pati, ut hic
Apost. verissimè disputat & concludit. Et hoc sacri-
ficio reiterari non posse, nos quoque cum
Apostolo & eius doctrina predicamus & doce-
mus. At si idem istud cruentum sacrificium semel ob-
latum, in cruentum & in cruento modo offeratur sæ-
pe in memoriam cruenti, non est necesse Christum sæ-
pe mori. Nam quotiescunque sic offertur in me-
moriâ mortis Christi offert ipso Apo. testate quum
dicit: Quotiescunque manducabitis panem hunc
& calicem bibetis, mortem domini annuncia-
bitis donec veniat. De hoc sacrificio & modo
eius offerendi non loquitur Apostolus in tota
epistola ad Hebræos, sed sicut ante ostendimus

Matt. 26.

Marc. 14.

Lucæ. 22.

1. Cor. 11

I. Cor. 10. et 11. huius sacrificij doctrinā tradit, ex qua etiam efficacissime probatur missam esse sacrificium. Quod ergo hæretici ex apostolica doctrina ad Hebræos colligunt, præter hostiam quam in cruce moriens Christus obtulit, non esse aliam nouæ legis hostiam, verum est de cruenta aut cruento modo offerenda aut immolanda. Sed his non repugnat eandem sæpius offerri incruentam siue incruento modo. Vnde non est alia hostia crucis & alia altaris sed vna & eadem, alio & alio modo oblata. Quare neque assuunt aut addunt sacerdotes alia & alia sacrificia Christi sacrificio in cruce immolato, vt hæretici impie garrunt: sed idem alio modo immolant, quandoquidē vnū & idem est corpus Christi in cruce & in altari oblatum. Quare stabili & inconcussa fide tenendum est, missam verum nouæ legis esse sacrificium.

¶ Nec propterea toties oportet Christum pati, quoties celebratur missa, quia in ea nõ offertur cruentum, sed incruentum sacrificium. Christus enim resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltra nõ dñabitur. Quod enim mortuus est pctõ, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit deo. Sententia ergo Apostoli in epistola ad Hebræos est, Christum in cœlum introiisse, vt appareat nũc vultui dei pro nobis, non vt semetipsum sæpe offerat: quem admodũ pontifex veteris legis in sanguine alieno, qui per singulos annos cruenta & ea diuersa immolabat pecudum sacrificia. Nam si hoc modo Christus semetipsum per proprii sanguini

Roma .6.

nis effusionē sæpe offerret, vel offerretur i mis-
 sa, oporteret eum frequenter pati. Semel ergo
 ad destitutionem peccati per hostiam suam cru-
 entam apparuit vultui dei pro nobis, & offer-
 tur quotidie per sacerdotes hostia incruenta in
 memoriam cruentæ. De hoc Ambrosius libro
 quarto de sacramentis capi. 6. scribit in hæc
 verba: Quatum sit sacrificiū cognosce. Vide
 quid dicat: Quotiescunque hoc feceritis, toties
 commemorationem mei facietis, donec iterum
 veniam. Et sacerdos dicit: Ergo memores glo-
 riosissimæ eius passionis, & ab inferis resurre-
 ctionis, & in cœlum ascensionis, offerimus ti-
 bi hanc immaculatam hostiam, rationabilem
 hostiam, incruentam hostiam, hūc panem san-
 ctum, & calicem vitæ æternæ: & petimus &
 precamur, vt hæc oblationem suscipias in sub-
 limi altari tuo per manus angelorum tuorum,
 sicut suscipere dignatus es munera pueri tui iu-
 sti Abel, & sacrificiū patriarchæ nostri
 Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacer-
 dos Melchisedech. Ergo quotiescunq; accipis
 quid dicit tibi Apostolus? Quotiescunq; ac-
 cipimus, mortem domini annūciamus, si mor-
 tem annunciamus, annunciamus remissionem
 peccatorum. Si quotiescunq; effunditur san-
 guis, in remissionem peccatorum funditur, an-
 nunciamus remissionem peccatorum, de beo il-
 lum semper accipere, vt semper mihi peccata
 dimittantur. Qui semper pecco, semper de beo
 habere medicinam. Hactenus Ambrosius.

¶ Ar vide quanta contumelia sacerdotes
 Christi afficiunt, qui apostolico gradui succe-

Ambrosi.

Luc. 22.
 1 Cor. 11.

1. Cor. 11.

dentes, Christi corpus sacro ore conficiunt, per
 quos & nos Christiani sumus, qui claves regni
 cœlorum habentes, quodammodo ante iudicij
 diem iudicant, qui sponsam domini sobria ca-
 stitate conseruant. Hos rabido ore Christi inter-
 fectores atq; (vt ita dicam) deicidas dicere nō
 formidāt, vt eos de terra delere possint. Sed mē-
 tita est iniquitas sibi. Sicut enim non valet con-
 secutio hæc, Christus in cruce moriens obtulit
 semetipsum hostiam cruentam, ergo occidit se
 ipsum, ita multo minus valet hæc hæreticorū
 collectio: sacerdotes in missa offerūt corpus &
 sanguinem Christi hostiam incruentam, ergo
 occidunt Christum. Hostia enim cruenta mor-
 tem includit, incruenta autem solum fit in me-
 moriam mortis eius. Tantum ergo interest in-
 ter hos duos offerendi modos, cruentum vide-
 licet & incruentum, quantum inter mortem
 ipsam & memoriam mortis, quæ non minus
 distant q̄ cœlum & terra. Quemadmodum er-
 go Christus semetipsum offerendo cruentam
 hostiam, non seipsum occidit, sed a Iudæis oc-
 ciscus est, ita & sacerdotes ipsum in eius perso-
 na offerentes hostiam incruentam, nequaquam
 occidunt, sed in memoriam mortis eius immo-
 lant. Nō enim faciunt sacerdotes sacrificæes,
 quod Iudei crucifigentes, sed faciūt quod Chri-
 stus crucifixus instituit & mandauit, dicens:
 Hæc facite in meam cōmemorationem. Eius-
 dē impietatis est, quod ex ijs falsissimis princi-
 pijs colligūt, asserentes mysterium aut celebra-
 tionem missæ maius esse pct̄m, q̄ sacrificare fi-
 lios suos dæmonijs, quod fecerunt pagani &

Luc. 22.

ceteri idololatræ. Dementissimum hominem putarem, qui hæc morbo aliquo correptus diceret. At quum hæc quidam ex Lutheri discipulis opinione sua & sanus & doctus asserit, atque adeo ex Pauli epistola ad Hebræos dicitur, rursus crucifigētes sibi metipsis filium dei, & ostentui habentes, se commonstrasse existimat, in sanus est, qui illi credit. Attendant, quæso, miseri & infelices mendaciorum architecti, quātum sit discrimen inter occidere Christum, quod impij Iudæi fecerunt: & offerre se ipsum in mortem, quod fecit Christus crucifixus: & sacrificare incruento modo in memoriam mortis eius, quod faciunt sacerdotes: & immolare filios suos dæmonijs, quod faciunt idololatræ. Neque enim sacerdotes salutarem illam victimam altaris immolantes crucifigunt rursus filium dei, sed ij qui baptisma iterant, quos redarguit Apostolus, sicut supra ostendimus:

Heb. 6.

Denique nouum & hæctenus inauditum ex æternitate sacerdotij Christi, cōtra misæ sacrificium idem Lutheri discipulus somnauit argumentum, quod in hunc modum proponit: Christus sacerdos & pōrifex a patre cōsecratus est non ad tempus, quomodo illi in veteri testamento leguntur, quorum quum vita mortalis esset, sacerdotium immortale esse nō poterat. Quare & successoribus opus erat, qui subinde in demortuorum locū subrogarentur. At Ch̄o q̄ immortalis ē vicariū substitui, nō est necesse. Itaque a patre designatus est sacer

Heb. 3. 7.
9. 10.

Gen. 14.

dos in æternum secundum ordinem Melchisedech, vt æterno permanente sacerdotio fungatur. Hoc mysterium in Melchisedech figuratum est, quem vbi scriptura semel induxit sacerdotem dei viventis, nūquam postea eius meminuit, ac si nullum finem habuisset. Hac similitudine Christus secundum eius ordinem sacerdos dictus est. Iam vero qui quotidie missam (vt ita dicam) aut sacrificant, oblationibus perficiant sacerdotes, necesse est, quos Christo velut successores & vicarios subrogēt. Qua subrogatione, non modo Christum suo honore spoliant, & æterni sacerdotij priuilegium vel prerogatiuam illi rapiunt, sed e dextera patris deturbare conātur, in qua sedere immortalis non potest, quin simul æternus sacerdos maneat.

¶ Huius cornuti & monstruosi sophismatis veritas & solutio pendet ex ijs quæ modo diximus. Concedimus enim & docemus cū Apostolo Christum esse sacerdotem & pontificem æternum, qui non obtulit sanguinem vitulorum & hircorum, sed per proprium sanguinem semel introiuit in sancta, æterna redemptione inuenta. Et hæc oblatio quam fecit in cruce cruciata est, & quia æterni sacerdotis Christi est, & infinitæ virtutis, sufficiens est ad omnium hominum redemptionem & salutem, & propterea non iteratur: sed eius virtus nobis applicatur per fidem & sacramenta ecclesiæ, quod potissimum fit per sacramentum & sacrificium eucharistiæ. Christus igitur resurgens ex mortuis vt ait Apostolus, iam non moritur, mors illi vltra non dominabitur, Quod enim mortuus est

Rom. 6.

peccato, mortuus est semel: quod autem uiuit, uiuit deo. Legales autem sacerdotes temporarij fuerunt, & diuersas easque cruentas pecudū hostias immolauerunt, hanc Christi hostiam p̄ figurantes. Quare neq̄ Christo immortalī tales substituimus sacerdotes, qui pecudum hostias offerant. sed sacerdotes quos Christus ipse instituit, corpus eius & sanguinē in personā ipsius conficiunt & offerunt hostiam incruentam in sacramento altaris, ita ut Christus ipse vnus sit sacerdos summus & æternus simul & sacrificium nouæ legis. Sacerdotes autem eius sunt ministri, in persona eius & virtute consecrantes & sacrificantes. In noua igitur lege instituit summus & æternus sacerdos Christus ordinem ac seriem successionum ministrorum qui non pecudum hostias, sed incruentum sacrificium offerant in memoriā eius, donec veniat sicut ipse fieri instituit & mādauit, secundum quod in euangelio & Paulo scriptū est. Sic em̄ euangelistæ verba Ch̄i narrāt: Accepit Iesus panē, gratias agens, fregit deditq̄ discipulis suis, dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, siue tradetur, hoc est, quod pro vobis in cruce offeretur. Hoc facite in meā cōmémorationē. Verba manifesta sunt. Hoc, inquit, facite in meā cōmémorationē. Quid, q̄so, hoc est aliud dicere, q̄ hoc ipsum quod ego nunc facio, & in cruce cōsūmabo, idem & vos facite? Atq̄ Ch̄us in cœna his verbis suū cōsecrauit corpus & sanguinē sub specie panis & vini. In cruce vero idē corpus & sanguinē obtulit sub propria specie, ut in cœna p̄dixerat. Quū enim in

Matt. 26.

Mar. 14.

Lucæ. 22.

1. Cor. 11.

b

cœna dixisset, accipite & manducate, hoc est corpus meum, addidit, quod pro vobis tradet. Dicens ergo hoc facite, fecit apostolos sacerdotes, deditque eis potestatem consecrandi & immolandi verum suum corpus & sanguinē sub speciebus panis & vini secundū ordinem Melchisedech. Consecrant igitur sacerdotes vere & offerunt verum CHRISTI corpus & sanguinē sub sacramento panis & vini, sicut Christus sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech instituit & mandavit.

Ephe. 5.

¶ Attendant ergo diligenter CHRISTVM in cruce non obtulisse sub specie panis & vini secundum ordinem Melchisedech, sed hoc modo offerendum instituit & præcepit sacerdotibus in nouissima cœna. Quum ergo CHRISTVS in cruce obtulerit semetipsum hostiam cruentam pro peccatis nostris deo patri, quam constat non fuisse secundum ordinem Melchisedech, nec alicubi legatur in templo super altare obtulisse panem & vinum, quæ obtulit MELCHISEDECH, manifeste sequitur, aut Christum non esse sacerdotem secundū ordinē Melchisedech, quod pugnat cum scriptura, aut missam esse sacrificium, quia sacerdos in ea consecrat & offert corpus & sanguinem CHRISTI sub sacramento panis & vini secundum ordinem Melchisedech, sicut Christus instituit in cœna & in sui memoriam fieri præcepit.

Cyprianus
li. 2. epist.
3. epist. ad
Cæcilium.

¶ Quamquam (si Cypriano credimus, cuius verba etiā supra recitauimus) Christus

in cœna non solum consecrauit, sed etiam secundum ordinem Melchisedech seipsum obtulit in pane & vino, quæ opinio & consona veritati videtur, & nostram sententiam non mediocriter confirmat, qua dicimus missam esse sacrificium secundum ordinem MELCHISEDECH a Christo institutum. Nam Christus iussit Apostolishoc ipsum facere, quod ipse tum faciebat, sicut frequenter diximus. Ac secundum CYPRIANI sententiam Christus obtulit semetipsum in cœna secundum ordinem Melchisedech, ergo & sacerdotes in missa idem faciunt, sacrificantes uti CHRISTVS sacrificauit. In qua tamen oblatione non satisfecit Christus pro peccatis totius mundi, sed hoc prædixit se facturum in cruce dicens: Hoc est copus meum, quod pro vobis tradetur. Et iterum: Hic est sanguis meus qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum. Habemus ergo, ut supra diximus, geminam CHRISTI oblationem ex gemino offerendi modo, in cœna videlicet & in cruce, quæ tamen vnica est ratione rei quæ offertur, quia solus Christus offertur.

¶ Quod autem dicit mysterium sacerdotij Christi in MELCHISEDECH figuratum esse, pro nobis facit, & supra ex Cypriano & Augustino declarauimus, quod Melchisedech typum Christi gesserit. Quod etiam Ambrosius lib. 4. de sacramentis pulchre explicat dicens: Panis iste, inquit, panis est ante verba sacramentorum, vbi accesserit consecratio, de pane fit caro CHRISTI. Hoc igitur astruamus,

Ambrosii
lib. 4. de
sacramentis.

quomodo potest qui panis est corpus esse Christi consecratione? Consecratio igitur quibus verbis est, & cuius sermonibus? Domini Iesu. Nam reliqua omnia quae dicuntur, laus deo defertur, oratione petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris. Vbi venit ut conficiatur venerabile sacramentum, iam non suis sermonibus sacerdos utitur, sed sermonibus Christi. Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum. Hic manifeste ex Ambrosio habes, Christum non posse dici sacerdotem secundum ordinem Melchisedech, nisi quatenus eius institutione & sermone conficitur & offertur corpus eius & sanguis sub sacramento panis & vini, quod fit non virtute sacerdotis ministri, sed omnipotentia unicus & summi sacerdotis Christi in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Et quae praeterea addit Ambrosius, aperte ostendunt, eucharistiam esse sacrificium. Ita enim habet, Dicit sacerdos: Fac nobis hanc oblationem ascriptam, rationabilem, acceptabilem, & caetera quae prolixum est enumerare. ¶ Reliqua quae miser iste obijcit, iuxta poetam, sunt verba & voces, praeterea nihil, imo nulla responsione digna, etiam si essent sesquipedalia verba. Nam sacerdotes novae legis ex Christi institutione sacrificantes, nullo modo Christum suo honore spoliant, nec illi aeterni sacerdotis privilegium rapiunt, nec e patris dextera deturbare conantur, qui credunt ipsum in dextera patris sedentem, nihilominus in hoc sacramento invisibiliter praesentem, offerri hostiam incruentam, secundum ordinem Melchisedech. Quin potius vos contra

hæretici aperto Marte aduersus Christum sæ-
 uitis aut potius insanitis, qui non creditis cor-
 pus & sanguinẽ Christi confici & offerri, ni-
 si rursus Christus descendat e dextera patris,
 & crucifigatur. Hæc rursus alius reperere
 visum est, non propter eum tantum qui eucha-
 ristiam aut missam negat esse sacrificium, q̄p-
 pe qui tam indoctus, elinguis, & sermonis pu-
 tidi est, vt magis misericordia dignus sit, quã
 responsione: sed ob eos, quorum vicem iamdu-
 dum doleo, qui mendacium præferentes veri-
 tati, falsi nominis scientia supplantantur.

¶ Ex his pro comperto relinquimus, eu-
 charistiæ consecrationem, communionem, ob-
 lationem in missa, ab ipso Christo institutam.
 Siquidem in cœna, eucharistia consecrata, apo-
 stolos cõmunicauit, corpusq̄ suum tradendũ
 & sanguinem effundendũ prænunciavit, quod
 perfecit & consummauit in cruce, offerens se-
 ipsum per mortem patri suo. Ea propter missa
 non solum repræsentat cœnam, sed etiam ob-
 lationem in cruce factam. Hinc & sacerdotes
 in missa non solum faciũt, quod Christus gessit
 in cœna, sed etiam quod postea perfecit in cru-
 ce. Valeant ergo hæretici, Antichristi præcur-
 sores, cum cœna diabolica quam alijs parant,
 iuge sacrosanctæ missæ sacrificium blasphem-
 mantes, & serpentina lingua offerri prohibetes.

¶ Hos supra ipsius Antichristi præcur-
 sores & satellites diaboli nuncupauimus. Et
 recte quidem, quum in ipsis indubitato Daniẽ Dani. 8.
 lis prophetiam adimpletam videmus, dicen-

tis: Vsq̄ ad principem fortitudinis magnificatum est cornu, & ab eo tulit iuge sacrificiū, & deiecit locum sanctificationis eius. Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata, & prosternetur veritas in terra, & prosperabitur & faciet, vsque ad vesperā, & mane dies duo milia trecenti, & mūdabitur sanctuārium. Quid? an nō hic suis depingit coloribus ipsum **ANTICHRISTVM**, cuius cornu hoc tempore magnificatum est vsque ad principem fortitudis, a quo tulit per ministros suos hæreticos iuge sacrificium missæ, & deiecit locum sanctificationis eius, quia iam templa eius & altaria demoliti sunt, & prohdolor multis iam locis sacramenta conculcauerūt. Quare? Quia robur datum est ei cōtra iuge sacrificium propter peccata populi **CHRISTIANI**, propterea prosternetur veritas in terra, per sectas quas introducunt perditionis, & prosperabuntur ad tempus. Et idem de hæreticis angelus Danieli prænuñciauit dicens: Polluent sanctuārium fortitudinis, & auferent iuge sacrificium, & dabunt abominationem in desolationem. Et impij in testamentum simulabunt fraudulenter. Et capite sequenti ait ad eundem: Vade **DANIEL**, quia clausi sunt signatiq̄ sermōnes vsque ad præfinitum tempus. Eligentur & dealbabuntur, & quasi ignis probabuntur multi. Et impie agent impij, neque intelligent omnes impij. Porro docti (hoc est, catholici qui probati sunt) intelligent, & a tempore quum ab

Antichri-
stus.

Danie. 11.

Danie. 12.

latum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem dies mille ducen-
 ti nonaginta. Beatus qui expectat, & peruenit
 ad dies mille trecentos triginta quinque. Hæc
 Danielis prophetia magna ex parte adimple-
 ri per hæreticos cœpta est, quos CHRISTVS
 Antichristi præcursores futuros prædixit: Mul-
 ti, inquit, pseudoprophetæ surgent, & sedu-
 cent multos. Et paulo post: Quum ergo vide-
 ritis abominationem desolationis, quæ dicta
 est a DANIELE propheta, stantem in lo-
 co sancto. Et iterum: Erit tunc tribulatio ma-
 gna, qualis non fuit ab initio mundi, &
 cætera.

Matt. 24.

¶ Vides hic sole clarius ex Danielis pro-
 phetia & saluatoris testimonio, hæreticos tol-
 lentes iuge missæ sacrificium, veros Antichri
 præcursores & ministros. Recedant ergo ca-
 tholici a tabernaculis hominum impiorum, qui
 relicto sacrosanctæ missæ sacrificio, suas eri-
 gunt diabolicæ mensæ cœnas, Non enim possu-
 mus calicem dñi, ait Apostolus, bibere, & cali-
 cem dæmoniorum. Neque possumus mensæ
 domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.
 Quum ergo extra ecclesiam diabolus sit, sicut
 in ecclesia Christus est, vt docet Augustinus
 de verbis Apostoli, & reuera ita se habet, seg-
 tur hæreticos esse præcisos, & non domini ca-
 licem, sed dæmoniorum propinare, eorumque
 mensæ participantes, non domini, sed dæmo-
 niorum mensæ participare. Non ergo domini
 cœnâ, sed diabolicam celebrât cœnâ schismatici

1. Cor. 10.

11. q. 3. ca.

Omnis.

& hæretici negantes verum Christi corpus & sanguinem sumi & offerri in eucharistia, aduersus omnium orthodoxorum patrum sententias. Vnde Augustinus dicit libro 10. de ciuitate dei. Verus ille mediator, inquam formam serui accipiens mediator effectus est dei & hominum, homo Christus Iesus, quum in forma dei sacrificiũ cũ p̄re sumat, cũ quo vnus deus est: tñ in forma serui, sacrificiũ mlauit eẽ q̄ sumere, ne vel hac occasiõẽ q̄sq̄ existimaret, cui libet sacrificãdũ eẽ creaturæ. Per hoc & sacerdos, ipse offerens, ipse & oblatio. Cuius rei sacramentum, quotidianum voluit esse ecclesiæ sacrificium. Et lib. 16. exponens illud Sapientis, sapientia ædificauit sibi domum, & suffulsi columnas septẽ, immolauit suas victimas, miscuit in cratera vinum suũ, & parauit mensam suam. Venite manducate de meis panibus, & bibite vinum quod miscui vobis, dicit: Hic certe agnoscimus dei sapientiam, id est, verbum patri coæternum in vtero virginis sibi ædificasse corpus humanum, & huic tanq̄ capiti membra ecclesiam subiunxisse, martyrum victimas immolasse, mensam in vino et panibus præparasse. Vbi apparet sacerdotiũ etiam secundum ordinem Melchisedech. Participationem mensæ huius sacerdos ipse mediator testamẽti noui exhibet secundum ordinem Melchisedech, de corpore & sanguine suo. Id enim sacrificium successit omnibus illis sacrificijs veteris testamenti, quæ immolabantur in vmbra futuri. Quia pro illis omnibus sacrificijs & oblatiõibus corpus eius offertur & participantibus ministratur.

¶ Hactenus de priori atque adeo digniori parte sacrosanctæ missæ, quam a Christo accepimus, licet paucis, pluribus tamen forte quàm opus erat, pro viribus differuimus: nunc de altera parte, quam ab ecclesia habemus, reliquum est ut dicamus. Rident enim hæretici ritus, ceremonias ac cætera, quibus missæ sacrificium in ecclesia ad honorem dei peragitur & completur. Nos contra cum sponsa Christi, quæ est ecclesia, quæ incorrupta est & pudica, & adulterari non potest, permanentes, asserimus omnia ista iustis de causis ab apostolis eorumque successoribus instituta & ordinata, & conuenienter a populo Christiano in hunc usque diem per totum orbem vnanimi consensu obseruata, nobiscum deinceps quasi per manus tradita. Nam quid potest esse in sacrificijs ecclesiæ maius præstantiusque, quàm corpus & sanguis Christi? Hæc enim oblatio, sicut supra non semel docuimus, omnibus præeminet oblationibus & sacrificijs. Sicut ergo potior est cæteris, ita potius venerari debet. Hæc est sententia Alexandri papæ quinti, Quum igitur in missa corpus & sanguis Christi, imo totus ipse Christus, in eucharistia consecretur, sumatur, & immoletur, in commemorationem suæ benedictæ passionis & mortis: an non dignum videtur, ut inter omnia officia, ministeria, quæ in ecclesia fiunt, honorificentius ac dignius, quantum potest, istud sacrosanctæ missæ officium celebretur ad laudem & honorem Christi, pro cuius merito & maiestatis excellentia, omnis laus est inferior? Hinc scriptum est: Terribilis dominus & ma-

De conse.
dis. 2. ca.
Nihil.

Ecci. 43.

gnus vehementer, & mirabilis potentia illius, Glorificantes dominum quantumcunq; poteritis, superualebit adhuc, & admirabilis magnificentia eius. Benedicentes dominum exaltate illum, quantum potestis, maior est em̄ om̄i laude. Quæ quum ita sint, conuenientissime ecclesia, quæ magisterio spūs sancti instructa, errare non potest, instituit huiusmodi ritus, ceremonias, vestes, vasa, & id genus multa, pro solennitate & decore missæ, quorum quædam ordinata sunt ad repræsentandam superbenedictam Christi passionē & mortem, vt est eleuatio manuum quæ fit a sacerdote: qua vt Cyprianus ait, sicut supra ostendimus, crucis mysterium repræsentat. Sic rursum quædam fiunt ad repræsentandam dispositionem corporis sui mystici, quod in hoc sacramento significatur. Quædam ad excitandam fidelium deuotionē & reuerentiā erga tantū sacramentum. Hoc est quod Cyprianus dicit sermone sexto de oratione dominica: Quādo stamus ad orationem, fratres dilectissimi, vigilare & incumbere ad preces toto corde debemus. Cogitatio om̄is secularis & carnalis abscedat, nec quicquā tunc animus quam id solum cogitet quod precatur. Ideo & sacerdos ante orationem præfatione p̄ missa, parat fratrum mentes dicendo, sursum corda, dū respondet plebs, habemus ad dominum, admonetur nihil aliud se q̄ dñm cogitare debere. Cōfirmat hoc Augu. de vera religione dicens: Si deniq; per vrbes atq; oppida, castella, vicos, & agros villasque priuatas int̄m aperte suaderetur & appetitur a terrenis auersio,

Cyprian.

Cyp. ser. 6
de ora. do
mi.

Sursum
corda.
Augu. de
vc. re. ca. 3

& in vnū deū verumq; cōuersio, vt quotidie per vniuersum orbē humanū genus vna pene voce rñdeat, sursum corda se habere ad dñm, qd adhuc oscitam⁹ crapulā hesternā, et in mortuis pecudibus diuina eloquia perscrutamur. Hæc verba Cyp. & August. nō sine causa posuimus, sicut postea docemus.

¶ Nunc ad rem redeamus. Beatus igitur Petrus in prima missa sua, quam Antiochiæ celebrasse perhibetur, huius mysterij verbis consecrationis orationē dñicam addidit, qua etiā reliqui apostoli in missis suis initio nascētis ecclesiæ vsi sunt, sicut testatur Grego. in epist. ad Siracusanū episcopū, & Remigius lib. de diuinis efficijs. Deinde Petro apostolo autore ordinata est missa in eundē ferme modū, quo hodie celebratur, teste Isidoro lib. de origine officiorū 1. vbi sic habet: Ordo missæ vel oronū qbus oblata deo sacrificia cōsecrantur, primo a sancto Petro est institutus, cuius celebrationē vno eodēq; mō vniuersus peragit orbis. Hūc missæ ordinē a Petro institutum legitur B. Iacobus frater dñi in ecclesia Hierosolymitana obseruasse & in scriptis redegisse. Sed & Paulus postea q̄ cū Petro & Iacobo cōtulisset Hierosolymis, aliū deñ missæ ac cōionis ritū Corinthijs se traditurū promittit, dicēs. Cætera cū venero, disponā. Videat q̄ velit Dionys. Areopagitam in ecel. hierar. vbi tradit cumulatius formam missæ ab apostolis traditam. Telesphorus quoque papa quartus a Petro instituit, vt nocte, sancta natiuitatis domini saluatoris, tres missas celebrent presbyteri & hymnum angelicum in illis solenniter decantent.

Isido. li. 1.
de off. ca.
15.

Gala. 2.
1. Cor. 11.

Diony. eccle. hic. c. 3
Telesphorus de cōs. se. di. 1. c. 1
Nocte.

Et ita multis labentibus annis iuxta incrementa temporum, ritus & ceremoniæ quæ dicuntur, decantantur, & observantur in celebratione missæ, sunt ab ecclesia instituta, ordinata & approbata. Sed de his latius in sequentibus dicemus.

¶ Multiphariam multisque modis hac in re hæretici nobis reluctantur. Quia ut est apud Lactantium apte dictum, qui in principio falsum suscipit, hunc consequentium rerum necessitas, ad delirametam perducit. Sic hæreticis, si quod iudicio accidit, qui quia summam veritatis amiserunt, semper errent, necesse est. Proponunt in re sacratissima argumentum nugacissimum, non tamen tam ridiculum quam blasphemum. Nam declamantes apud imperitam plebeculam Stentoria voce, Phormiana confidentia, venerandum missæ sacrificium conferre solent panis mendicorum, Mendici enim quibus nec unica est vestis quam sine pudore possint induere, alijs atque alijs pannis obsiti, in forum prodeunt. Adeo sordidis & foedis rebus, sacratissima mysteria comparant, viri illi nimium evangelici. Et quamvis scommata ista digna non sint responsione: respondebimus tamen propter eos, qui nesciunt iuxta sermonem domini, inter scorpiones & colubros incedere. Admittimus itaque officium missæ ex pluribus & a pluribus sanctis patribus, diversis quoque temporibus & compositum & augmentatum, quod ratione optima & iustissimis causis factum esse pronuncio: sicut multi scriptis suis nunquam inter morituris, declararunt. Inter quos compendiosissime quidem, sed & clarissime omnium

Lactā, lib.
3. d. 11. inst.
ca. 17.

Ezech. 2.

& singulorum horum, ordinem & rationē red-
dit Thomas Aquinas dicens: Quia in hoc sa-
cramento totum mysterium nostræ salutis cō-
prehenditur, ideo præ cæteris sacramentis ma-
iori solennitate agitur. Et quia scriptum est, cu-
stodi pedem tuum ingrediens domum domini.
Et iterum: Ante orationem præpara animam
tuam, ideo ante celebrationem huius mysterij,
primo quidem præmittitur præparatio quædã
ad digne agenda ea quæ sequuntur. Cuius præ-
paratiōis prima pars est laus diuina, quæ fit in
introitu, secundum illud Psalmi: Sacrificium
laudis honorificabit me, & illic iter quo osten-
dam illi salutare dei. Et sumitur introitus plerū-
que ex Psalmis, vel saltem cum Psalmo can-
tatur, quia vt Dionysius dicit 3. ca. eccle. hierar-
chiæ, in Psalmis compræhenditur per modum
laudis, quicquid in sacra scriptura cōtinetur.
Secunda pars continet commemorationē præ-
sentis miseræ, dū misericordia petitur, vt quū
dicitur Kyrie eleeson, ter pro persona patris &
ter pro persona filij, quum dicitur, Christe ele-
eson, & ter pro persona spiritus sancti, quum di-
citur ter Kyrie eleeson, cōtra triplicem miseriam
ignorantiæ, culpæ, & pœnæ: vel ad significan-
dum omnes personas esse in se inuicem. Ter-
tia autem pars commemorat cœlestem gloriã,
ad quam tēdimus post præsentem vitam & mi-
seriam, dicendo, gloria in excelsis DEO,
qui hymnus cantatur in festiuitatibus sancto-
rum, in quibus cōmemoratur cœlestis gloria.
Intermittitur autem in officijs luctuosis, quæ

Tho. Ag.
3. par. q. 83
a. 4.

Eccl. 4.
Eccl. 18.
Præpara-
tio.

Dionysius

Instructio

ad cōmemorationem miserix pertinent. Quarta autem pars continet orationem, quam sacerdos pro populo facit, vt digni habeantur tantis mysterijs. Secundo autem pręmittitur fidelis instructio populi, quia hoc sacramētum est mysterium fidei. Quę quidem instructio dispositiue fit per doctrinam prophetarum & apostolorum, quę in ecclesia legitur per lectores et subdiaconos. Post lectionem cantatur a choro responsorium, siue (vt vocant) graduale: quod significat profectum vite, & halleluia, quod significat spiritalem exultationem, vel tractus in officijs luctuosis, qui significat spiritualem gemitum. Hęc enim consequi debent in populo ex prędicta doctrina. Perfecte autem populus instruitur per doctrinam Christi in euangelio cōrentam, quę a summis ministris legitur, scilicet a diaconibus. Et quia Christo credimus tanquam diuine veritati, secundum illud Iohannis, si veritatē dico vobis, quare nō creditis mihi, lecto euangelio, symbolū fidei cantatur: in quo populus ostēdit se per fidē Chrī doctrinę assentire. Cantatur autem hoc symbolū in festis Christi & beatę virginis Marię, & apostolorum, qui hanc fidem fundauerunt, & alijs huiusmodi. Sic ergo populo preparato & instructo, deinceps acceditur ad celebrationem mysterij: quod quidem & offertur vt sacrificium, & consecratur & sumitur, vt sacramentum. Vnde primo peragitur oblatio, secundo cōsecratio, tertio eiusdem perceptio. Circa oblationem vero duo peraguntur, scilicet laus po-

Iohan. 8.

Oblatio.

puli in cantu offertorij, per quod significatur
 læticia offerentium, & oratio sacerdotis, qui pe-
 tit vt oratio populi sit deo accepta. Vnde 1. Pa 1. Para. 29.
 rali. dixit Dauid: Ego in simplicitate cordis
 mei obtuli vniuersa hæc, & populum tuum q
 hic repertus est, vidi cum ingenti gaudio tibi
 offerre donaria. Et postea orat dicens: Domine
 deus custodi hanc voluntatem. Deinde circa
 consecrationem, quæ supernaturali virtute a-
 gitur, primo excitatur populus ad deuotionem
 in præfatione, vnde & monetur sursum corda
 habere ad dominum. Et ideo finita præfatione
 populus deuote laudat diuinitatem Christi cū
 angelis dicēs: Sanctus, sanctus, sanctus. Et hu
 manitatem cum pueris dicens: Benedictus qui
 venit in nomine domini. Deinde sacerdos se-
 creto commemorat, primo quidem illos pro q
 bus hoc sacrificium offertur, hoc est, pro vni-
 uersali ecclesia, & pro his q i sublimitate sunt
 constituti, & specialiter quosdam commemo-
 rat, vel qui offerunt vel pro quibus offertur.
 Secundo commemorat sanctos, quorum pa-
 trocinia implorat pro prædictis, quum dicit,
 communicantes & memoriam venerantes.
 Tertio petitionem concludit, quum dicit, hæc
 oblatio pro quibus offertur salutaris. Deinde
 accedit ad ipsam consecrationem, in qua pri-
 mo petit consecrationis effectum, quum dicit,
 quam oblationem tu deus, & cætera. Secundo
 consecrationem peragit verbis saluatoris, quū
 dicit, qui pridie. Tertio excusat præsumptio-
 nem per obedientiam ad mandatum Christi,

Consecra-
tio.

Esaiæ. 6.

Apo. 4.

Matth. 21.

1. Tim. 2.

quum dicit, Vñ et memores. Quarto petit hoc sacrificium peractum esse deo acceptum, quñ dicit, supra quæ propitio. Quinto petit huius sacrificij & sacramenti effectum. Primo quidẽ quantum ad ipsos sumentes, quum dicit, supplices te rogamus. Secundo quantum ad mortuos, qui sumere non possunt, quum dicit, memeto etiam domine. Tertio specialiter quantum ad ipsos sacerdotes offerentes, quum dicit, nobis quoq; peccatoribus. Deinde agitur de perceptione sacramenti. Et primo quidem præparatur populus ad percipiendum. Primo quidem per orationem communem totius populi, quæ est oratio dominica, in qua petimus panem nostrum quotidianum nobis dari, & etiam privatam, quã specialiter sacerdos pro populo offert, quum dicit: Libera nos quæsumus, domine. Secundo præparatur populus per pacem, quæ datur dicẽdo agnus dei. Est enim hoc sacramentum unitatis & pacis. In missis autem defunctorum, in quibus sacrificium offertur, nõ pro pace præsentis, sed pro requie mortuorum, pax intermittitur. Deinde sequitur perceptio sacramenti. Primum quidem percipit sacerdos, & postmodum alijs dat, quia vt dicit Dionysius 3. cap. eccl. hierarch. qui alijs diuina tradit, primo debet ipse particeps esse. Vltimo autem tota missæ celebratio, in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione mysterij (quod significat cantus post communionem) & sacerdote post orationem gratias offerente: sicut & Christus celebrata cum discipulis cõmunionem, hymnũ dixit, vt Matthæus

Perceptio

Dionysius

Matt. 26.

dicit: Hactenus recitauimus verba beati Thomæ, qui & eodem loco multa habet, quæ admodum valent ad detegendas hæreticorum præstigi-
 as. Nobis satis fuerit rem nulli catholico obscu-
 ram, nec nostræ vocis egentem, cōmonstrasse.
 Faceffant igitur hæretici comparātes missam
 lacero mendici pallio, ex alijs atq; alijs pannis
 confuto atq; cōtexto, quo pauper vtitur ad cor-
 poris necessitatem, non gloriam aut honorem.
 Panni isti ex qbus missa conficitur, tales sunt,
 quod nunquam veterascunt, quos neq; erugo
 neq; tineæ demolitur: nec fures hæretici pannis
 istis digni sunt. Quid enim, quæso, aliud sunt
 panni isti, quam verbum dei, gratiarū actiones
 & preces sanctæ ad dñm deū, sicut osten-
 dimus? Quare nihil refert, q̄s vel hoc vel illud
 addiderit missæ. Nam si bonum, si literis sacris
 consentaneum, si catholicum, si deniq; diuinū
 est, quod additum est, qui addiderunt, nullo mo-
 do peccauerunt. Quomodo aut missæ accessio
 facta fuerit ab Apostolis, & a sanctissimis pa-
 tribus, ante diximus.

Matt. 6.

¶ Absurdissimas comparationes hæretici af-
 ferunt in sacratissimo missæ mysterio, vbi non
 catulos canibus, nec magna paruis, sed maxi-
 ma minimis, & ea quæ sacratissima ac diuinis-
 sima sunt, rebus vanissimis ac maxie propha-
 nis, hoc est, luci tenebras, & Christo Belial, q̄-
 bus vel Apostolo teste, nulla potest esse conuē-
 tio, componunt. Quod verum esse, testimonio
 nobis est argumentum quod modo diluimus.
 Quod licet sit vanissimum ac impiissimum,
 multo tñ vanius atq; magis impium est, quod

2. Cor. 6

c

alia rursus parabola plena blasphemiarum in de-
 um, proponunt: ubi sacratissimum missæ sacri-
 ficium siue officium iniquissima collatione cõ-
 parant Morisci (sic enim loquuntur moriones
 illi) choreæ, ob ritus, gestus, & ceremonias, quibus
 peragitur & celebratur missæ officium. Di-
 gnum profecto argumentum, quod in scena re-
 citarent histriones, mirmillones & cæteri lu-
 didi, qui artem tractant scænicam siue histrioni-
 cam, qui varios ludos ac gesticulationes eden-
 tes, non iniucundum sui spectaculum infano præ-
 bēt populo. Rñ debemus tamē scurris ac mimis
 istis, qui eandem rem varijs gestibus sciunt effin-
 gere, & ad tibicinis modum saltare. Scriptum
 est enim: Responde stulto iuxta stultitiam suā,
 ne sibi sapiens esse videatur. ¶ Ante annos plu-
 rimos Thomas Aquinas hoc ipsum argumen-
 tum mouit & soluit. In sacramento, inquit, ec-
 clesiæ nihil debet fieri, quod ridiculum videat-
 ur. Videtur autē ridiculum gesticulationes face-
 re, ad quæ pertinere videtur, quod sacerdos quæ-
 brachia extendit, manus iungit, digitos cõpli-
 cat, & seipsum inclinat. Multoties ad populū
 se vertit, & multoties salutat. Non ergo debet
 hæc fieri in celebratiōe huius sacramenti. Hoc
 est argumentum histrionū nostrorū, qui sacro-
 sanctū missæ officium ludum putant esse scæ-
 nicum, præterea nihil. Audiāt ergo scænici no-
 stri responsionem beati Thomæ minime scæni-
 cam, vt intelligant gesticulationes, quæ fiunt in
 missa a sacerdote, adeo non esse histrionicas, vt
 etiam sint sacratissimæ, nostræ religioni con-
 gruentes, mysteriorum passionis Christi repræ-

Prouer. 26

Thomas
 Aquin. 3. p.
 q. 83. a. 1.

sentatiōes. Ea, inquit, q̄ sacerdos facit in missa, non sunt ridiculæ gesticulationes, fiunt em̄ ad aliquid repræsentandum. Quod enim sacerdos brachia extendit post consecrationem, significat extensionem brachiorum Christi in cruce. Leuat etiã manus orando, ad designandum quod oratio eius pro populo dirigitur ad deũ, secundum illud: Leuemus corda nostra cū manibus ad deum in cœlum. Et in Exodo dicitur, quod quũ leuaret Moyses manus, vincebat Israel. Quod autem manus interdum iungit & inclinat se suppliciter & humiliter orans, designat humilitatem & obedientiam Christi, ex qua passus est. Digtos autem coniungit post cōsecrationem, scilicet pollicem cum indice, quibus corpus Christi consecratum tetigerat, vt si qua particula digitis adhæserit, non dispergatur: quod pertinet ad reuerentiam sacramenti. Quod autem sacerdos quinquies se vertit ad populum, fit ad designandum, quod dñs die resurrectionis quinquies se manifestauit. Salutat autem septies populum, quin q̄ vicibus quando se vertit ad populum, & bis quando se non vertit, hoc est, ante præfatiōem, quum dicit dominus vobiscum, & quum dicit, pax domini sit semper vobiscum, ad designandam septiformem gratiam spiritus sancti. Episcopus autē celebrās in festis, in pria salutatione dicit, pax vobis, quod post resurrectionem discipul' dixit dñs, cuius personā præcipue representat ep̄s. Hæc ille. Mea quidem sententia ludiones nostri prudentius facerent, si aliam materiam magis ridiculam sumerent cachinnis aptā, in qua

Thren. 3
Exod. 17

Ecci. 22

citra blasphemiam dei, ludicram exercerent artem. Nam sicut musica in luctu, ita nugę iste in re sacratissima, importuna narratio.

Prove. 18
Danie. 12.

¶ Sanctissimum canonem missę impietatis, blasphemię & idololatrię arguunt, quod papa ac antistitis ante regem facit mentionē, sanctoꝝ implorat auxilium, missam facit sacrificium, pro animabus in purgatorio detentis orat & sacrificat, & tandem propter frequentē crucis signationem, quę animum haud secus terret (vt ait Zvuiglius) atq; mathematicoꝝ characteres idiotas. Hic sacrilegis faucibus simul plurimas euomunt impietates in venerandum missę sacrificiū: q̄ tñ ex vna blasphemia ceu fonte, hauriuntur. Nam si sanctissimū missę canonē aduersus eos defenderimus, sicut a multis & eleganter & copiose catholiceq; defensus est, peribit illis tantus pestiū catalogus, nec hydrę capita renascentur. Missam enim & canonem eius veluti execrabilem blasphemiam abominantur. Sed vt testis est Salomon, impius cum in profundum venerit malorum, cōtemnit, & Danieli testatus est angelus, dicēs: Impie agent ip̄i, neq; intelligent oēs imp̄i. Ita & blasphemii heretici iacētes in tā profundo desperationis barathro & oīm vitioꝝ cœno, sacrosanctum missę canonē, cœlestibus mysteriis ac omni pietate refertū, impietatis ac blasphemię insimulant, & damnant in pie. ¶ Primū male eos habet papam in canone regi platum. At frustra eam ob rem marcescūt inuidia. Nulla enim in hoc regi fit iniuria, quū summus pontifex Christi sit in terris vicarius, Petriq; suc-

cessor, non rex. Christus enim instituit piscato-
rem cui oues suas pascendas commisit, non re-
gem. In cœna quoq; pro Petro rogauit, ne defi-
ceret fides eius, & pro liberatione Petri eccle-
sia sine intermissione orabat ad dñm, dum in
carcere sub Herode detineretur. Hinc ecclesia
orandi formam didicit, & primo orat pro pa-
pa, deinde pro rege. Non enim tam sacerdotiũ
subest imperio, quã imperiũ sacerdotio, vt pa-
tet ca. Solitę, de maioriã & obediẽtia. Sed su-
pra in sacramento ordinis de hoc non nihil di-
ximus. Et ni fallor, non ob aliam causam pug-
nãt pro rege aut imperatore, nisi vt clericis quo-
rum princeps est summus pontifex Romanus,
inuidiam apud principes cõciliẽt. Neq; enim
honoris gratia pro imperatore certãt, cuius edi-
ctis & decretis publicis non obtemperant. Pri-
mum discant obedire regibus, & abiurare aut
saltem relinquere impiĩssimas hãreses, quas pi-
issimi reges dãnauerunt. Neq; enim ex hoc pen-
det religio Chřiana, neq; in eo positæ sunt for-
tunæ regum, pontifex ne an rex in canone præ-
ponatur: quamuis extra oẽm aleam non minor
sit pontificia dignitas, quam Regia maiestas.
Reddendũ est Cæsari quod Cæsaris est, & deo
quod dei. ¶ Nec mihi persuadere possum Chri-
stianos reges adeo arrogantes & honoris fame-
licos esse, vt doleant papam sibi in canone præ-
latum Ruffinus Aquileiensis lib. x. historię ec-
clesiasticę, admirabile factum narrat principis
Constantini, Nam apud Nicæam urbem con-
uocato contra Arrium concilio trecentorum de-
cem & octo episcoporum & episcopis diuer-

Iohan. 21
Luc. 22
Actu. 12.

Matt. 22

Ruff. hist.
eccl. li. 10.
ca. 2.
Constanti-
nus. Aug.

sis ex causis inter se iurgantibus, ne per huius-
 modi iurgia, causa summi negocij frustraretur
 diem certum statuit, in quo iussit omnes episco-
 pos adesse. Et quū resedisset, ait ad episcopos:
 Deus vos constituit sacerdotes, & potestatem
 vobis deus dedit de nobis quoque iudicandi,
 & nos ideo a vobis recte iudicamur. Vos au-
 tem non potestis ab hominibus iudicari. Pro-
 pter quod dei solius inter vos expectate iudici-
 um, & vestra iurgia quaecunq; sunt, ad illud
 diuinum reseruentur examen. Vos etenim no-
 bis a deo dati estis dii, & conueniens nō est, vt
 homo iudicet deos, sed ille solus de quo scriptū
 est: Deus stetit in synagoga deorū, in medio au-
 tem deos discernit. Qui hæc verba dixit ad sa-
 cerdotes, non puto illum egretulisse, papam in
 canone sibi p̄latū iri. Sed de his plura q̄statue-
 ram. ¶ Præterea cōdemnant canonem ob in-
 uocationem sanctorū, de qua alias dicemus: &
 ob purgatorium de quo superius tractauimus.
 Canonē aut̄ propter frequentē crucis signatio-
 nē nō esse spernendū aut abiiciendū, docet D.
 Thomas, loco supra citato, vbi argumentatur
 in hūc modū: Ea q̄ in sacramētis ecclesiæ agū-
 tur, nō sunt iterāda, incōueniēter igitur sacer-
 dos iterat cruces & signa super hoc sacramen-
 tū. Præterea Apost. dicit, sine vlla cōtradicti-
 one, quod minus est, a maiori benedicatur: sed
 Ch̄s q̄ est in hoc sacramēto post cōsecrationē,
 multo maior est sacerdote. Incōueniēter igitur
 sacerdos post cōsecrationē b̄ndicit hoc sacra-
 mentum cruce signando. ¶ Et hæc qui-
 dē sunt ipsius argumenta, quibus respondet dī-
 cēs: Sacerdos vritur in celebratiōe missæ crucis

Tho. 3. q.
 33. a. 5.

Heb. 7.

Mysteriū
 crucis
 in missa.

signatione ad exprimendā passionem Christi
q̄ ad crucem est terminata. Est autē passio Ch̄i
quibusdam quasi gradibus peracta. Nā primo
fuit Ch̄i traditio quæ facta est a deo, Iuda &
Iudæis, quod significat trina crucis signatio su-
per illa verba benedictam, adscriptam, ratam
Vel ad ostendendum p̄cium venditionis, hoc
est, triginta denarios. Additur etiam & duplex
signatio super illa verba, vt nobis corpus et s̄a
guis, ad designandam personam Iudæe vendito-
ris et Ch̄i venditi. Tertio autē fuit præsignatio
passionis Ch̄i facta in cœna, ad quod designā
dū fiunt tertio duæ cruces, vna in consecratio-
ne corporis, alia in cōsecratiōe sanguinis, vbi
vtrobiq; dicitur, b̄ndixit. Quarto autē fuit ipsa
passio Ch̄i vñ ad reṑsentādum quinṑ plagas
Ch̄i fit quarto quintuplex crucis signatio su-
per illa verba hostiā purā, hostiā sanctā, hostiā
immaculatā, panem sanctū vitæ æternæ & ca-
licem salutis perpetuæ. Quinto reṑsentatur ex-
tensio corporis, & effusio sanguinis & fructus
passionis per trinā crucis signationem, quæ fit
super illis verbis, corpus et sanguinē sumpse-
rimus oī benedictiōe, &c. Sexto reṑsentatur
triplex oratio, quam fecit in cruce. Vnam pro
persecutoribus, cum dixit: pater ignosce illis.
Secundā pro liberatione a morte, quū dixit: De-
us meus, deus, meus, vt qd dereliquisti me? Ter-
tia pertinet ad adeptiōem glorię, quum dixit:
pater in manus tuas commendo spiritū meum
Et ad hoc significandū fit trina crucis signatio
super illa verba, viuificas, benedicis, & cæ-
tera. Septimo reṑsentantur tres horę, quibus

pendit in cruce, scilicet a sexta vsq; ad horā nonam. Et ad hoc significandum fit iterum trina crucis signatio ad illa verba, per ipsum, et cum ipso, & in ipso. Octauo autem repræsentatur separatio animæ a corpore per duas cruces subsequentes extra calicem factas. Nono autem repræsentatur resurrectio tertia die facta per tres cruces, quæ fiūt ad illa verba: pax dñi fit semper vobiscum. Potest autem breuius dici, quod consecratio huius sacramenti, & acceptio huius sacrificij, & fructus ipsius, procedit ex virtute Christi. Et ideo vbiunque fit mentio de aliquo horum, sacerdos crucis signatione vtitur. Post consecrationem vero nō vtitur sacerdos crucis signatione ad benedicendū & consecrandum, sed solum ad commemorandum virtutem Christi, & modum passionis Christi. Hæc ille.

August.
Recitatur
in dec. di.
11. ca. Ec-
clesiastic.

¶ Hunc canonem missæ cum hisce crucis signationibus in vsu ecclesiæ fuisse longo tempore añ beatum Augustinum, testatur Augustinus ex dictis Basilij probans, quum dicit: Ecclesiasticarum institutionum, quasdam in scriptis, quasdam vero apostolica traditione per successores in ministerio confirmatas accepimus: quasdam vero consuetudine corroboratas approbavit vsus. Et paucis interiectis subdit: Quæ enim (vt inde exordiamur) scriptura crucis signaculo fideles docuit insigniri? Vel quæ tripharia digesta super panem & calicē proluxæ orationis vel consecrationis verba commendauit? Nam non modo quod in euangelio continetur, vel ab apostolo quod est

infectum secretis, dicimus: sed & alia plura adijcimus, magnam quasi vim commendantia mysterijs. Hic Augustinus canonem prolixam vocat orationem. Tripharia autem dicuntur verba, quæ (vt Glossa dicit) eadem tertio repetuntur in secretis, vt est, hostiam sanctam, hostiam puram, hostiam immaculatam. Et alia canonis verba idem Augustinus sermone de sacramento calicis pertractans, ait: Eucharistia est oblatio benedicta, per quam benedicimur, adscripta, per quam in coelo ascribimur, rata per quam in visceribus Christi censemur. Rationabilis, per quam a bestiali sensu exuimur: acceptabilis, vt qui nobis displicemus, per eam acceptabiles vnico dei filio simus. Hactenus Augustinus. Quid quod Ambrosius Mediolanensis episcopus libro quarto de sacramentis totius canonis atque adeo oim fere verborum mentionem facit? Vnde dicit: Vis scire, quia celestibus verbis consecratur: Accipe quæ sunt verba. Dicit sacerdos: Fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sanguinis domini nostri Iesu Christi.

¶ Hunc librum hæretici (vt sunt versipelles & lubrici) negant esse Ambrosij, quia aliam ruinam euadendi aut tergiuersandi non inueniunt. Familiare est hoc omnibus hæreticis, vt si quando ipsis rationes deficiunt, vel conuictijs muliercularum more rem agant, vel librum eius cuius esse perhibetur, pertinaciter pernegent. Didicerunt hoc a Luthero, qui non aliam ob causam epistolam Iacobi negat esse

Augu. ser.
de sac. cal.

Ambr. li.
4. de sacr.
ca. 5.

Hæc etiã
recitantur
de cõf. di.
2. ca. pa-
nis est.

August.

Iacobi, quam quia impijs eius conatibus & in
sanis dogmatibus aduersatur. Eadem ratione
Manichæi non receperunt Actus apostolorū,
vt habet Augustinus libro de vtilitate creden
di ad Honoratum ca. 3. quia aduentum spiri
tus sancti, quem in apostolis completum esse
manifestissime apostolorū acta docent, in Ma
nichæo potius quam in apostolis eius fuisse as
serunt redditum. Et libro quinto confessionum
dicit: Manichæus spiritum sanctum autoritate
plenaria personaliter in se esse persuadere co
natus est. Et Manichæi dicebant scripturas no
ui testamenti falsatas fuisse, a nescio quibus, q
Iudæorum legem inserere Christianæ fidei vo
luerunt. Et apertius in epistola ad Hieronymū,
cuius initium est, Iam pridem charitati tuæ:
Manichæi, inquit, plurima diuinarum testimo
nia scripturarum, quia in alium sensum detor
quere non possunt, falsa esse contendunt, ita ta
men, vt eandem falsitatem, non scribentibus
apostolis tribuant, sed nescio quibus codicum
corruptoribus. Hoc est quod dicit Tertullianus
docēs hæreticos non esse admittendos ad dis
putationem de scripturis. Ista hæresis, inquit,
non recipit quasdam scripturas, & si quas re
cipit, adiectionibus & detractionibus ad dispo
sitionē instituti sui interuertit: & si recipit, non
recipit integras: & si aliquatenus integras præ
stat, nihilominus diuersas expositiones cōmen
tata peruertit. Tantum veritati obstrepit adul
ter sensus, quantum & correptor stilus variæ
præsumptionis.

Tertulli.

¶ Verum de his plus satis. Redeamus ad
id vnde digressi sumus; Augustinus libro secū

do Reractationum ca. 4. manifeste dicit Ambrosiū libꝛe scripsisse de sacramētis. Sed fingamus Ambrosiū nō eē autorē eius libri, q̄ ei inscribitur de sacramentis. An propterea missa non erit sacrificium, & actum erit de canone? Totus patrum chorus i nostris castris militat, etiam si de missa nihil scripsisset Ambrosius. Nam, vt supra docuimus, non solum canonis, sed etiam præfationis meminit Cyprianus & Augustinus, qui explicant quare sacerdos dicat, sursum corda. Vt tamen aliquando hæretici oculos aperiant, si tamen oculos habent, & intelligant Ambrosium, nostra omnino confirmare, etiam si libri illi sex de sacramentis, qui eius nomine feruntur editi, ipsius nō essent, in animo habeo in medium adducere, quæ alio loco dicit, vbi satis aperte canonis meminit. Nā in prioriepistola ad Timotheum exponēs apostolum dicentem, obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus qui in sublimitate constituti sunt, vt quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & castitate, sic dicit Ambrosius: Hæc regula ecclesiastica tradita est a magistro gentium, qua vtuntur sacerdotes nostri, vt pro omnibus supplicent, deprecantes etiam pro regibus huius seculi, vt in pace positi, in tranquillitate mentis & quiete domino nostro seruire possimus. Multa præterea addit Ambrosius, quæ eodem tendunt, idcirco ea missa facio. Nōne hic aperte canonē missæ approbat Ambr. Hac regula. inqt. ecclesiast. tradita a mḡro gētū, q̄ vr̄i sacerdotes nr̄i. At

Ambrosi.

1. Tim. 2.

ubi vñt sacerdotes hac regula ecclesiastica? Profecto in missa, in ipso canone, sicut ipse cano indicat. Quati fecerit August. hunc sacrosanctum missae canonem, eo loco declarat, ubi docet tempore suo consuetudinem fuisse in ecclesia orandi ac offerendi pro defunctis. Quod quum scripturis & multis verbis explicasset, tandem subnectit dicens: Sed & si nusquam in scripturis veteribus omnino legeretur, no parua hac consuetudine claret autoritas, ubi in precibus sacerdotis, que domino deo ad eius altare funduntur, locum suum habet etiam commendatio mortuorum. Hic Augustinus & canonem approbat, & missam defunctis in purgatorio detentis prodesse affirmat. Desinant ergo haeretici aduersus sacrosanctum missae canonem rabido ore ceu canes latrantes desaxuire, nec catholicos reos agant aut criminentur blasphemiae idololatriaeque, sed discant ipsi amplius non blasphemare missae canonem, & corpus Christi in eucharistia contentum, vnicum ecclesiae sacrificium quanta possunt reuerentia adorare.

Augustin.
lib. de cur.
pro mor.
agenda.

Errant ergo haeretici ac prorsus delirant, volentes missam esse nudam, atque quantum fieri potest, simillimam missae Christi, vt simpliciter fiat perinde atque a Christo instituta primum fuit, abiectis omnibus ceremonijs & aditamentis. Non intelligunt, aut certe nolunt p furore intelligere substantiam missae, qua Christus instituit, neque mutari neque posse mutari, ab ecclesia. Non em ecclesia potest aliam instituere eucharistiae, quae in missa conficitur, sumitur, &

offertur, materiam aut formam, quam Christus instituit, neque vlllo pacto diminuere, neq; addere, neque mutare quicquam eorū, que sunt de substantia formæ sacramentalis. Si em̄ aut materia mutaretur, aut forma, fieri non posset, quin & debitus verborū sensus tolleretur, quo sublato, inane ac ieiunum remaneret sacramentum, imo nec posset perfici. Ipsa quippe verba in sacramentis, iuxta sensum quem faciunt, operantur. Quando autem fit vel additio vel subtractio alicuius verbi absque variatione significationis debitæ formæ sacramentalis, sacramentum omnino perficitur. Quapropter talis subtractio vel additio minime illicita est ecclesiæ: ecclesię, inquam, non cuiuslibet priuato e plebe. Quod verum esse indicat ipsa forma huius sacramenti eucharistiæ, quam tres euangelistę describentes, Matthęus, Marcus, & Lucas, nec non Apostolus Paulus, non eisdem tradunt verbis. Nam Matthęus & Marcus referunt Christum consecrando panem, dixisse, hoc est corpus meum. Lucas vero & Apostolus scribunt eum addidisse, quod pro vobis tradetur. Ecclesia vero dicit, hoc est em̄ corpus meum, addens dictionem enim, & pretermittens, quod pro vobis datur siue tradetur. Consecrando autem vinū Christus, Matthæo narrante, ait: Hic est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, quam formam Marcus describens, vltima verba, nempe in remissionem peccatorum, tacuit. Sed & LVCAS eandem tradens formam, hūc in modum Christū

Matt. 26.
 Marc. 14.
 Lucæ. 22.
 1. Cor. 11

dixisse: testatur. Hic est calix nouum testamen-
tū in sanguine meo, q̄ pro vobis fundetur. Nec
Paulus vltima hæc verba, qui pro vobis fun-
detur, posuit. Quum itaque diuersis modis &
verbis euangelistæ & Paulus formam huius
sacramenti exprimant & in diuersis ver-
bis eadē permaneat significantia & virtus, ec-
clesia a dhuc hāc aliam formam tradidit. Hic
est enī calix sanguinis mei, noui & æterni te-
stamenti, qui pro vobis & pro multis effunde-
tur in remissionē peccatorū. Sed de his fusius
ca. Cum Marthæ de celebratione missæ.

¶ Et hæc dicta sint de forma & materia
hoc est, de substantia missæ. Cætera vero sa-
cramentalia, ritus, ceremonias & eius generis
multa, qui dubitat ecclesiam potuisse aut ho-
die posse superaddere, dubitet etiam oportet,
CHRISTVM Apostolis in cœna dixisse:

Iohan. 8. Adhuc multa habeo vobis dicere. Sed nō pote-
stis portare mō: Quū autē venerit spiritus ille
veritatis, docebit vos omnem veritatem, & q̄
ventura sunt annunciabit vobis Neque enim
deserere potest ecclesiam suam, qui in cœlum
conscensus promisit sese māsūm cum ea
Matth. 21. vsque ad consumationem seculi. Hic A-
POSTOLI recepto spiritu sancto ordinē
celebrandæ missæ tradiderunt. Nam si omni-
um ceremoniarum, vestium, gestuum, cantū
pompa a missa tollenda est, vt vicinior sit pri-
mæ omnium missæ, quam CHRISTVS
cum Apostolis celebrauit in cœna, nec quic-
quam aliud fieri debet a nobis quam quod

Christus fecerit ipse, etiam similior erit missa nostra missæ CHRISTI, si celebrata fuerit quando Christus missam suam celebravit, hoc est, inter cœnādam siue post cœnam: quod tamen nec facit, nec facere debet ecclesia ipso CYPRIANO teste, vbi ad Cæcilium scribit in hæc verba: Quum cœnamus ad conuiuium nostrum plebem conuocare non possumus vt sacramenti veritatem fraternitate omni p̄sente celebremus. At enim nō mane sed post cœnam mixtum calicem obtulit dominus. Nunquid ergo dominicum post cœnam celebrare debemus, vt sic mixtum calicem frequentandis dominicis offeramus? CHRISTVM offerre oportebat circa vesperam diei, vt hora ipsa sacrificij ostenderet occasum & vesperam mundi, sicut in Exodo scriptum est: Et occident illum omne vulgus synagoge filiorum Israel ad vesperam. Et iterum in psal-
 mis: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Nos autem resurrectionem domini mane celebramus. Et quia passionis eius mentionem in sacrificijs omnibus facimus (passio enim est domini sacrificium quod offerimus) nihil aliud quam quod ille fecit, facere debemus. Scriptura enim dicit: Quotiescunque ederitis panem istum & calicem istum
 beritis, mortem domini annuntiabitis quoad usq; veniat. Quotiescūq; ergo calicē in cōmemorationē dñi & passionis eius offerimus, id quod constat dñm fecisse faciam⁹. Hūc securus

Cyprian⁹.
 l. 2 epist.
 epist. 3.

Ps. l. 124.

1. Cor. 11.

Augu. li. 7.
ad inquis.
Ianna. de
conf. dist.
2. ca. liqui-
do. 4. sen.
dist. 8.

1. Cor. 11.

Augustinus libro primo ad inquisitiones Iana-
arij, ait: Et liquido apparet quando primum ac-
ceperunt discipuli corpus & sanguinem do-
mini, non eos accepisse ieiunos. Nunquid
tamen propterea calumniandum est vniuersæ
ecclesiæ, quod a ieiunis semper accipitur? Ex
hoc enim placuit spiritui sancto, vt in honore
tanti sacramenti in os Christiani prius domi-
nicum corpus intraret, quam cæteri cibi. Nā
ideo per vniuersum orbem mos iste seruatur.
Nec enim quia post cibos dedit dominus, pro-
pterea pransi aut cœnati fratres ad illud sacra-
mentum accipiendum conuenire debent, aut
sicut faciebant, quos Apostolus arguit & emē-
dat, mēsis suis ista miscere. Nam saluator quo
vehementius commendaret mysterij illius al-
titudinem, vltimum hoc voluit infigere cordi-
bus & memoriæ discipulorū, a quibus ad pas-
sionem digressurus erat. Et ideo non præcepit,
quo deiceps ordine sumeretur, vt apostolis, per
quos ecclesias dispositurus erat, seruaret hunc
locum. Vnde dicit Apostolus: Cætera quā ve-
nero, ordinabo. Vnde intelligi datur, quia mul-
tum erat, vt in epistola totum illum agendi or-
dinem insinuaret, quem vniuersa per orbem
seruat ecclesia, ab ipso ordinatū esse, quod nul-
la morum diuersitate variatur. Disputat Au-
gustinus eo libro, an quotidie sit communican-
dū corpori & sanguini dominico, an certis tan-
tum diebus, an communicādum post cœnam
an sabbato ieiunandum. Et tantum tribuit cō-
suetudini, vt dicat nullam esse in his meliorem
disciplinam graui prudentiq; Christiano, q̄ vt

eo modo agat, quo agere viderit ecclesiam ad quamcunque forte deuenit. Quod enim, inquit, neque contra fidem, neque contra bonos mores iniungitur, indifferenter est habendum, & pro eorum, inter quos uiuitur, societate seruandum est. Illa enim quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis vel plenarijs concilijs, quorum est in ecclesia saluberrima authoritas, commēdata atque statuta retineri: sicuti quod domini passio, & resurrectio, & ascensio in cœlum, & aduentus de cœlo spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrantur. Vnde August. quum apud Mediolanū, episcopū Ambrosium propter matrē suā super ieiunio sabbati, quod varie in diuersis locis obseruabatur, consulisset, respondit Ambrosius: Quum Romam venio ieiuno in sabbato: quum hic sum, non ieiuno. Sic & tu ad quam forte ecclesiam veneris, eius morem serua, si cuiquam non vis esse scandalo, nec quēquam tibi. Hanc sententiam dicit Augustinus se ita semper habuisse, rang eam cœlesti oraculo suscepisset. Vtinam Lutherus tantum detulisset ecclesiæ consuetudini, & ceremonijs, quæ per totum orbem in sacrificio missæ obseruantur, non præbuisset profecto tantam discordiarum & scandalorum materiam. Illud sane summopere in hæreticis mirandum est, quod missam a nobis nudam, omni ceremoniarum ornatu detractō, desiderant, & sicut primum a CHRISTO instituta fuit, & ab Apost. simpliciter celebrata: quū tamē ipsi

d

luis vtantur ritibus & ceremonijs, quando cœnas suas instruunt non euangelicas (vt ipsi delirant) sed diabolicas, & archimandrita ipse Lutherus nouam missandi formulam, contra ecclesie formam, præscribere ipsis præsumpsit: vbi docet multa haudquã reijcienda, quæ ecclesia hæctenus in missæ celebratione obseruauit. Nam Lutherum nouam missandi formulam scripsisse, nihil miræ: quum Basilides, quæ Hieronymus vocat magistrum luxuriæ, qui summum deum Abraxas cum trecentis sexaginta quinq; editionibus commentatus est, ausus sit etiam nouum euangelium scribere, quod dicitur secundum Basilidem, vt autor est Ambrosius.

Hierony.

Ambr. in præfa. eu. secundum Lucam.

¶ Porro eo vesaniæ deuenerunt hæretici, vt missam horasq; quas vocamus canonicas, nõ latina, sed germanica ac vernacula lingua dicendas censeant. Adeo studet nouitatibus,urbationibus, & vt apertius dicam, confusionibus, vt nulla remaneat inter sacerdotem et plebem diuersitas. Mihi causæ satis magnæ esse videntur, ob quas tam missa quam horæ canonicæ, non germanice, sed latine dicendæ sunt. Constat enim Christum in missa, in memoriã oblationis in cruce factæ, offerri pro tota ecclesia congregata ex Iudæis & Græcis, virtutèq; passionis eius deriuari in oēs Christifideles, qui sunt numero & merito ecclesie membra. Quæ admodum aut Iudæis peculiaris est lingua Hebraica, ita & gentibus Græca, ex qua latinam multi ortam esse contendunt, hoc est, latinã linguã magna ex parte græco fonte cadere. Quã

igitur dominicæ passiois fructus omnibus Christianis, ut diximus, in sacrificio missæ accommodet, & horæ canonicæ pro tota ecclesia dicantur atque decantentur, ad hoc insinuandum rationi consentaneum est, ut in ecclesia occidentali latina latine & non alemanice, dicantur: sicut & ecclesia orientalis hebraica, hebraicis verbis, græca græcis deum laudat, horasque quas vocant canonicas decantat. Quod ut apertius ecclesia significet, latini græcas quasdam voculas latinis immiscet missis & horis canonicis, nempe Kyrie eleeson, i. domine miserere: similiter & Hebraicas, ut est, hallelu ia, i. laudate deum: et amen, i. fiat, vel in veritate sic est, vel fideliter. Sabaoth, i. exercitus vel virtutes, osanna, id est, eia saluifica. Græci quoque similiter latina verba usurpant a nobis. Vbi enim nos dicimus Kyrie eleeson, quod a Græcis accepimus ipsi dicunt, domine miserere, quod habent a latinis. Vnde Remigius libro de officio missæ. Ideo dicunt Kyrie eleeson, & latini græce, & græci latine: quia & illorum quædam græca verba honestius quam latina, & quædam latina honestius quam græca sonant, & ut vnum eiusdem domini populum nos esse ostendamus, vnumque deum vtrumque populum credere: kyrie eleeson, dñe miserere. Christe eleeson. Christe qui vnctus es, non oleo visibili, sed plenitudine diuinitatis miserere. Ad significandum ergo unitatem fidei in vtroque populo iuxta illud Apostoli, non est distinctio Iudæi & Græci, latini græca voce dicunt, Kyrie eleeson, & græci latine. Hactenus ille. Non tamen sum nescius Aug. li. 2. de do-

Rom. 10
Aug. lib. 2
de doctri.
Christia.
cap. 11.

trina Christiana, aliam huiusce rei causam assignasse, ubi disputat, quare hæbreæ verba, ut è amen, hallelu ia & racha, & ofanna, & si quæ sunt alia, nõ interpretata inueniamus in lib. diuinis: dicitq; hoc eẽ partim ob sanctiorẽ authoritatem, q̄uis interpretari potuissent, & ideo seruatam antiquitatẽ sicut amẽ & hallelu ia: partim quia in aliam linguam transferri non potuisse dicuntur, sicut racha & ofanna. Sunt em̄ quædam verba certarum linguarum, q̄ in usum alterius linguæ per interpretationẽ transire non possunt. Et hoc maxime interiectionibus accidit, quæ verba potius motum animi significanc, quam sententiæ conceptæ vllã particulam. Accuratius tamen disputat Hieronymus ad Marcellam de hallelu ia, & de ofanna ad Damasum papam, quæ qui velit, legat. Satis nobis in præsentis fuerit locum lectori cõmonstrasse. De hallelu ia vero, quod est hebraicum, dicit Gregorius in hunc modum: Ut hallelu ia hic, id est, Romæ, diceretur de Hierosolymitana ecclesia ex beati Hieronymi traditione tempore præcedenti ipsius Damasi, traditur tractum. Vbi Thomas Vualdensis: Benedicti ut hallelu ia hic diceretur. Longo em̄ tempore ante Hieronymum, habuit ecclesia per orbem usum cantandi hallelu ia. Ad idem facit, quod habet Augustinus dicens: Est em̄ hallelu ia, & bis hallelu ia, quod nobis cantare certo tempore solentis moris est, secundum antiquam ecclesiæ traditionẽ. Neq; hoc sine sacramento certis diebus cantamus hallelu ia, certis quidem diebus cantamus, sed oĩbus cogitam⁹.

Gregoris.

**Thomas
Vualden.**

Augusti.

Si em hoc verbo significatur laus dei, semper sit in corde, & si non in ore meo. Nemo igitur est, qui ex his facile possit perspicere consuetudinem psallendi halleluia per ecclesias, non recens natam, quam Augustinus fatetur antiquam. His accedit ecclesie consuetudo in die parasceues, quam cantantibus duobus sacerdotibus, crucemque baiulantibus quasi hebraice in persona saluatoris popule meus, acolyti respondet graece, agios agios, ho theos, ischyros, athanatos elee son imas in persona Graecorum: & chorus respondet: Sanctus, sanctus, sanctus, deus fortis immortalis miserere nobis, in persona Latinorum. Sic tribus linguis laudatur deus: hebraica, quae propter legem omnium mater est linguarum: graeca, quae doctrix est sapientiae: et latina, quae imperatrix est propter Romani imperii dominium & summi pontificis principatum. Et quam Hebraea nunc silet a laude dei, utimur loco eius latina, dicentes popule meus, &c. Quum em istud dicatur ex persona domini loquentis ad hebraeos, ideo intelligimus perinde ac si dictum esset hebraice. Quare sacerdotibus in persona Christi quasi hebraea voce, sicut diximus, interrogantibus popule meus duabus linguis respondetur, nempe graeca & latina, quae Christum colunt & adorant, quibus hebraea obstrepit & contradicit. Titulus quoque crucis, solum his tribus linguis, hebraica, graeca & latina, inscriptus id aperte indicat, ut solum his linguis, passionis Christi mysterium peragatur. Hinc Hieronymus in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum: Taceo, inquit, de Hebraeis Graecis & Latinis, quas nationes suae cru-

Augusti.

eis titulo dominus dedicauit. Huc quoque refer-
dit, quod Augustinus libro primo de mirabili-
bus sacrae scripturae capite ix. ait: ubi loquens
de septuaginta duabus linguis hunc in modum
scribit: Harum omnium linguarum noui testa-
menti tempore, tribus linguis hebraicae utique
latinae & graecae principatus committitur, quia
in eis crucis Christi titulus literis hebraicis grae-
cis & latinis scriptus, euangelica auctoritate
perhibetur. At vero deus in hoc contra naturam
humani eloquii, quam olim disposuit nil diui-
dendo & consumendo linguas hominum in ser-
mone fecit, quando eadem loquelae natura in ho-
minibus permanet, nisi consuetudo diuersa deui-
are ab alterutro linguas, non naturaliter, sed con-
suetudinariae docet. Latinus namque vel Grae-
cus inter barbaros genitus vel nutritus, bar-
barice loquitur: versaque vice, barbari filius
a GRAECIS aut Latinis edoctus, venusto
sermone fatur. Ex quo colligitur, DEVM
non naturam hominum mutasse, non nouum
in eis aliquid condidisse, sed dicendi tantum
modos & formas in diuersis generibus diuisis-
se. ISIDORVS quoque Hispalensis epi-
scopus vir non mediocri ingenij & eruditio-
nis libro nono Etymolog. idem habet, quum di-
cit: Tres sunt linguae sacrae, hebraea, graeca,
latina, quae toto orbe maxime excellunt. His
enim tribus linguis super crucem domini a PI-
LATO fuit causa eius scripta.

Isidorus.

Luc. 23.
Ioh. 19.

Possem & alia testimonia patrum ortho-
doxorum in medium afferre, sed ea quae addu-

ximus satis esse puto ad id quod querimus. Nā
 quod inspirante spiritus sancto titulum trium-
 phalem super caput IESV in cruce affixum
 scripsit Pilatus, hebraice, græce, & latine,
 iam in eo ministrabatur (si AVGVSTINO
 & Bedæ credimus) iam tunc regnum ipsius,
 non ut ipsi putant destructū, sed potius augmē-
 tatum, & ut non tantum Iudæorum CHRI-
 TVS rex crederetur, sed & Gentium. Quum
 em̄ dixisset: Ego autē constitutus sum rex ab eo
 super Sion montem sanctum eius, subiecit: Po-
 stula a me & dabo tibi gentes hæreditatem tu-
 am, & possessionem tuam terminos terræ. Ma-
 gnum ergo volumus itelligi in hoc titulo sacra-
 mentum, quia scilicet oleaster factus est parti-
 ceps pinguedinis oliuæ, non oliua particeps
 facta amaritudinis oleastri. Rex ergo Iu-
 dæorum CHRISTVS secundum Iudæorum
 circumcisionem cordis nō litera, sed spiritu.
 Item quod apud Marcum dominus orans in
 horto dixit: Abba pater omnia tibi possibil-
 sunt, transfer calicem istum a me, AVGV-
 STINVS exponit dicens: Quod Marcus nō
 solum pater, sed abba pater eum dixisse com-
 memorat, hoc est abba hebraice, quod latine
 pater. Et fortasse dñs propter aliquod sacramē-
 tū vtrumq; dixit, volens ostendere se illā tri-
 stis personā iam sui corporis, id est, ecclesiæ fu-
 scepisse, cui factus est angularis lapis venient-
 ti ad eum partim ex hebræis, ad quos pertinet
 quod ait, abba: partim ex gentibus, ad quas
 pertinet quod ait, pater. Et HIERONY-
 MVS in eandem sententiam sic refert.
 Abba pater hebraice & græce legitur, quia nō

Psal. 2.

Rom. 17.

Rom. 2.

Augusti.

Marc. 14

Psal. 117.

Matt. 21.

Actu. 4.

1. Pet. 2.

Hieron.

Rom. 8.

est distinctio Iudæi & Græci. Apostolus quoque: Accepistis, inquit, spiritum adoptionis filiorum dei, in quo clamamus abba pater. Duo hic ponit idem significantia, abba videlicet quod est Hebræum, & pater quod est latinum vel Græcum, ut ostendat hoc ad utrumque populum Iudaicum & gentilem pertinere. Ex his ergo perspicuum euadit, missam & alias horas canonicas non alemanice, sed hebraice, græce, & latine dici oportere. Quod etiam multo decentius ac cōuenientius fieri constat, quā si vernacula lingua diuinus perageretur cultus. Cōueniunt siquidem in latino idiomate omnes Germani, quæ callent linguam latinam, & non solum Germani, sed & Itali, Hispani, Galli, Angli, & cæteræ gentium nationes, ideoque fit, ut omnia quæ fiunt in cultu diuino siue legatur siue cantetur, optime consonent. Quis vero nescit quantum Germani in lingua vernacula ac propria inter se discrepant, adeo ut Sueui & Heluetij nec Brabantinos nec Hollandos rite intelligant, nec Brabantini Heluetios, imo sibi inuicem barbari sunt. Absurdum ergo ne dicam ridiculum esset diuinum in ecclesia cultum linguis adeo inter sese diuersis confusisque persolvere.

1. Cor. 14.

Deridetur itaque stulti verba latina Græce, imo Græcis stupidiores hæretici in sacrificio missæ & in canticis ecclesiæ, Apostolus, inquit, docet loquendum in ecclesia lingua, quæ ab omnibus possit intelligi. Atque latina lingua non ab omnibus intelligitur. Ut ergo quisque intelligat, quod legatur aut dicatur in ecclesia, lingua vernacula missas cæterasque preces contendunt esse dicendas, non latina. Hoc argumento aucupantur fauorem

laicorū in odiū sacerdotū. Nos dicimus Ap̄lm
eo loco loq̄ de eo q̄ populo est a concionib. hoc
est de eo q̄ docet verbū dei, q̄ interpretatur scri
pturas, quē constat frustra loq̄ lingua peregrina,
q̄ a vulgo cui loq̄tur, non intelligitur, quod
vel ex eo liquet, quod dicit: Qui prophetat, ho
minibus loquitur ad ædificationē & exhorta
tionem & consolationem. Qui loquitur lingua
semetipsum ædificat, qui aut̄ prophetat, eccle
siam dei ædificat. Et rursus addit: Gratias ago
deo meo, quod oim v̄m lingua loquor. Sed in
ecclesia volo quinq̄ verba sensu meo loqui, vt
& alios instruam, quam decem milia verborū
in lingua. Dicit Apostolus se malle quinq̄ ver
ba sensu suo loqui, hoc est, vt intelligatur, quā
decem milia verborū in lingua non intellecta.
Sed non abs re dicit Apostolus vt alios instruā,
nēpe vt intelligamus ipsum loqui de prædican
te & docente, atq̄ de eo qui alijs scripturā in
terpretatur, q̄ nisi intelligatur, erit populo cui
loquitur, barbarus. Quare concionatores qui
apud populum declamant, si quas authoritates
vel ex sacris literis, vel sanctorū patrum scri
ptis quandoq̄ latinis verbis in publicis concio
nibus citant, vulgari lingua statim interpretan
tur, id quod Apostolus approbare videtur, di
cens: Maior est qui prophetat, quam qui loqui
tur linguis, nisi forte interpretetur. Et iterum:
Qui loquitur lingua oret vt interpretetur, s. ver
ba q̄ ignota populo loquitur. Et hæc aduersus
eos dicta sint, qui verbi dei præcones, sacrarum
literarū verba interdum latine recitantes, ac de
inde vulgariter interpretantes, canino dente rō

dere non veretur, qui prorsus nullum in publicis concionibus latinum verbum admittunt. Et hæc quidem de concionatore ita sese habent.

¶ At longe alia ratio est de his, qui vel psallunt, vel orant, vel alio quouis pacto diuinam cultum in missa & horis canonicis persoluunt, vbi rudi plebecule sufficit scire & intelligere omnia quæ in officio ecclesiastico dicuntur, leguntur, cantantur, aut alijs ceremonijs peraguntur, fieri ad laudem dei, deipareque virginis Mariæ ac sanctorum (quorum solennia celebrantur) honorem. Sciunt enim preces ab ecclesia dirigi ad deum & ad sanctos, quorum patrocinia ardentibus votis imploramus. Audiunt hoc subinde in concionibus publicis. Nulla igitur urget necessitas, vt missa & preces publice dicantur germanice siue lingua vernacula.

¶ Verum, inquiunt, quod auditur & legitur sine verborum intellectu, sine fructu legitur & auditur, docente Apostolo: Si orem lingua ignota, spiritus meus orat, mens autem mea sine fructu est. Quis fructus bono sequutus sit ex canticis hereticorum, vbi simul cantillant, ambubaiarum collegia, pharmacopole, mendici, mime, balatrones, necdum audiimus. Quod si nobis obijciunt, quod diuina eloquia latina voce in ecclesia psallimus, ego vicissim illis obijciam quod de hymnis & psalmis canendis Donatistis obiecit Augustinus: Ad mouendum, inquit, pie animum & accendendum diuine lectionis affectum varia consuetudo est & plerumque in Africa ecclesie membra pigriora sunt, ita vt Donatiste nos reprehē-

1. Cor. 14.

Horatius.

Aug. li. 3.
ad inquis.
Ian. ca. 18.

dant, quod sobrie psallimus in ecclesia, quum
 ipsi ebrietates suas ad canticum psalmodum
 humano ingenio compositorum, quasi tubas ex-
 hortationis inflamment. Hic nostros hereticos
 suis depinxit coloribus, qui cantica psalmodi
 pessimis adiectionibus & detractionibus de-
 prauata, & humano ingenio per rithmos com-
 posita, ceu nugas canoras, aut verius vt Augu-
 stinus dicit ebrietates suas, maximo virorum
 boatu & ululatu foemineo, lallantibus interim
 & ad vbera pendentibus pueris, quotidie bar-
 barico ritu, cunctis simul strepentibus, & bar-
 barum ne scio quid frementibus in ecclesia reso-
 nant. Ego populū Christianū, q̄ vel missę vel
 sacris horis canonicis interest, nullo pacto alie-
 num a fructu missę aut precationum arbitror
 Licet em̄ latina verba sonare non valeant nec
 intelligere, sciunt t̄m̄ quis sit finis & scopus co-
 rum, q̄ in ecclesia a ministris dei leguntur vel
 audiuntur. Non intelligit indoctum & incer-
 tū vulgus sensum verborum quibus explet missa,
 at nō ignorat oīa in ecclesiasticis officijs fieri
 ad dei honorē et salutē ecclesię & in missa rep-
 resentari dominicā passionē, eucharistiā cōse-
 crari, et eos q̄ aīo contrito et spū humiliato sacris
 missę mysterijs intersunt, meriti Ch̄i partici-
 pes fieri. Quāuis igitur simplex plebecula ver-
 borum strepitū nō capiat, et mēs ei⁹. i. intellectu sit
 sine fructu sensus verborum, nō t̄m̄ spūs. i. affect⁹
 eius absq̄ fructu & merito apud deū est eiusq̄
 meritū tāto mai⁹ eē dīnos citur q̄to maiori affe-
 ctu operāte spū sancto diuinis interest officijs

Hoc verum esse vsus atq; experiētia testatur. Sunt enim latinæ linguæ expertes, qui mouente spiritu sancto, dicunt psalmum, miserere mei deus, quorum spiritus, hoc est, affectus orat, quia pie ad deum accenditur, mens autem, hoc est, intellectus, quia nō meditatur sensum verborum, nec contemplatur significata per illa, quia non penetrat, sine fructu est, orationis & verborum vim non intelligēs. Hæc est sententia Pauli. Ego puto hunc in modum precantem nullo modo vacuis manibus domum redire, sed etiam ipsum plus fructus capere, & orationem, qua mens ex feruore spiritus inflammata, in deum tendit, ipsi esse adeo frugiferā, vt lōge superet orationem doctissimi forte theologi, qui hanc vniuersam corporis molē, quā mundum nuncupamus, curiosissime nouit perquirere, & in ipso cœlo, de quo sæpe disputat, sibi habitare videtur, & vt Pauli verbis vtar, etiam si linguis hominum loqueretur & angelorum, & habuerit omnem prophetiam, & nouerit omnia mysteria, & omnem sciētiam. Et quia Apostolus singulariter pronunciat dicēs, si ego orem, spiritus meus, mens mea, magis loqui videtur de oratione privata, quas propterea magis expedit interdum dici lingua nobis manifesta, vt non solum spiritus, id est, affectus, sed etiam mens, id est, intellectus pascatur. Age videamus nunc quantum frugis hæretici capiant ex strenuo boatu psalmoꝝ, quos Stetoreo clamore, lingua vernacula, buccis crepantibus personant, Arcadiæ pecuaria ruderē credas. Nam post longum ac prorsus inanē

1. Cori. 13.

psalmorum strepitum, post confusum & inordinatum illud canticorum, quos per numeros & rithmos, vt dixi cātant, murmur, blasphemijs pleni, insani ac ieiuni domum redeunt, videntes quidem aliqua ex parte psalmorum corticem, sed quid in medulla habeāt, profus ignorātes. Haud dissimiles sūt nostri heretici Arrianis, q̄ hymnos & antiphonas ex Arriano dogmate compositos decantabant ad vituperationem orthodoxorum & deceptionem simplicium, adeo vt Chrysostomus tum præsul Constantinopolitanus metuens ne simplices huiusmodi cantibus traherentur, compulsus sit primus in nocturnis hymnis augere orationes, & populum suum instituere, vt & ipsi nocturnis occupati hymnis, & illorum obscuraretur opus, & fidelium professio firmaretur. Sic hac tempestate hæretici hymnos ex Lutherano dogmate compositos decantant.

¶ Quare nihil pro illis facit Apostolus, quū dicit, Cæterum si benedixeris spiritu (hoc est, lingua non intellecta, quæ donum est spiritus sancti) quis supplet locum idiotæ? quomodo dicet, amen, super tuam benedictionem? quomā quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur. Videtur quidem hic Apostolus loqui de oratione siue benedictione publica, ad quam idiotæ nequeunt dicere, amen, id est, fiat vel verum est, nisi proponatur eis tali lingua quam intelligunt. Sed ex his colligi non potest, orationes & benedictiones publicas hoc tempore lingua cōmuni clericis & populo esse dicēdas. Nam vt quidam

Iohan. 2.
Actu. 4.

Matt. 24.

non vulgaris doctrinæ theologus dicit, credibile est, si hoc expediret ecclesiæ, spiritus sanctus utique hoc suggessisset his qui ei præ sunt. Quod si ab initio ecclesiæ in abundantia illa spiritus, quādo erant omnes docibiles & capaces mysteriorum, quum esset cor vnum & anima vna in domino, & assidue lectioni, meditationi, & orationibus insisterent, frangentes panem salutis, aliter forsitan obseruabatur, nequaquam ad hæc tempora trahendum est, quando aucto fidelium numero, in tāta multitudine videmus spiritum refriguisse. Vnde experientia compertum est, plus satis ad destructionem, quā ad ædificationem id pertinere. Sed hoc est quod hæretici spiritu erroris acti cupiunt, & hoc actu aucupantur idiotarum & imperitorum iudicium & fauorem. Neque est quicquam ecclesiæ detrimenti, si singuli nequeant rñdere amē super bñdictione. Prouidit enim sapiēter ecclesia, vt ministri vice totius populi respondeāt.

1. Cori. 7.

Iohan. 10.

¶ Vt ut hæc maxime vera sint & optime dicta, tā a contentioso & rixandi percipiendo calumniam pati possunt. Posset enim quispiam dicere: Si Paulus, qui spiritum dei se habuisse testatur, tāto illustratus inhabitatore, docuit orationes & benedictiones publicas lingua toti populo nota dicendas, & hoc ipsum in primitiua ecclesia obseruatum fuit, non videtur ecclesiam hoc posse mutare. Ad hoc dicimus, quod idem spiritus sanctus, qui in exordio nascentis ecclesiæ per Paulum & apostolos fideles docuit, nunc quoque eosdem docet per ecclesiæ prælatos & doctores. Datus enim spiritus sanctus ecclesiæ doctor veritatis, nunquā

nō docet eam omnem veritatem. Qui sicut nū
 quam ecclesiam deseruit: ita nūquam deseret,
 ipsa Christo testante vbi ait: Rogabo patrem
 & alium paraclētum dabit vobis, vt vobiscū
 maneat in æternum, spiritum veritatis. Hinc
 sequitur quod ecclesia in his quæ instituit, ordi-
 nat, aut prius ordinata pro qualitate & condi-
 tione temporum mutat, id faciat spiritu veri-
 tatis docente ac eam dirigente: & propterea in
 huiusmodi rebus nec errat nec errare potest. Ec-
 quia id quod vno tempore in ecclesia conuenit
 & expedit, alio quandoq; tempore minus con-
 gruit, maxime in ritibus & ceremonijs diuini
 cultus, ecclesie ordinationi in huiusmodi reb; Iohan. 14.
 standum est. Argumentum huius rei est, quod
 apostoli initio nascētis ecclesie intermissa ad Actu. 8.
 tempus forma baptismi a Christo tradita, ba-
 ptizabāt in nomine Iesu ex familiari forte in-
 stinctu spiritus sancti, vt dulcissimum illud Ie-
 su nomen, quod erat odiosum gentibus & Iu-
 dæis, honorabile redderetur, per hoc, quod ad
 eius inuocationem spiritus sanctus dabatur in
 baptismo. Licet ergo in primitiua ecclesia,
 Christianis nondum satis instructis de mysteri-
 is ecclesiasticis, orationes & benedictiones pu-
 blicæ solennesq; lingua vulgari dicerētur: po-
 stea tamen instructis sufficienter fidelibus, vt
 saltem in communi ac in genere intelligerent,
 ea quæ in diuino fiunt officio, fieri ad laudem
 dei & salutem hominum, ordinatum est ab ec-
 clesia ex Iudæis & gentibus collecta, vt his
 tribus linguis, Hebræa quæ Iudæis peculi-
 aris est, latina & Græca, quæ gentibus com-

munes sunt, diuina peragerentur officia. Quod constat esse longe melius, honorificentius, & ornatius, q̄ si tot barbaris, peregrinis, exoticis stridentibus linguis & vocibus ecclesia periret. Hinc Sclauī olim (vt dicūt) Sclauonice missas suas celebrātes, id impetrāte D. Hieronymo huic priuilegio cesserūt, & se latinæ cōformarunt ecclesiæ. Indi tamen australes permittente sede apostolica rem diuinam in lingua sua vulgata faciunt. At priuilegia paucorum, non debent esse leges vniuersorum.

¶ Sed & decretalem nobis forte possent opponere. Quoniam, de officio iudicis ordinarij, quæ ita habet: Quoniam in plerisque partibus infra eandem ciuitatem atq; diocesium permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus & mores, districte præcipimus, vt pontifices huiusmodi ciuitatum siue diocesium prouideant viros idoneos, qui secundum diuersitates rituum & linguarum, diuina illis officia celebrent, & ecclesiastica sacramenta ministrent instruendo illos verbo & exemplo. Hucusq; decretalem recitauimus, quæ tamen, si recte inspiciatur, pro hæreticis nihil facit. Non enim dicit, q̄ missa hæreticis & populo dici, decantari aut celebrari debeant. Sed quia non solum in concionibus publicis, verum etiam in diuinis officijs, & præsertim sacramentis administrandis, nonnunquam lingua populo nota vti oportet, statuit decretalis illa rationabiliter, vt episcopo prouideat viros idoneos, qui hæc populo exhibere & præ-

stare valeant, instruendo simul populum verbo & exemplo. Quamuis igitur diuina officia non alemanice, sed latine peragi debeant: eum tamen morem, qui in nonnullis locis obseruatur, vbi choro latine canenti, laici inter profas alternatim respondendo concinunt alemanice tempore paschali, Christus resurrexit a mortuis, aut tempore natiuitatis domini, dies est lætitiæ, puer nobis nascitur, aut symbolum Nicænum, minime reprehendo. Cæterum eas cantuunculas aut cantilenas, quas nostri temporis hæretici alemanice dictauerunt, haudquaquam admittendas censeo, etiamsi id quod non sunt, per omnia catholicæ essent: vel ob id maxime, quod per eas omnem cantum ecclesiasticum, cultum diuinum, sacrosque eius ritus & ceremonias extinguere atque pessundare, & populū turpiter seductum in perfidia detinere moliuntur. His enim volunt (vt illa pudica Hester in oratione sua ad deum dicebat) dei mutare promissa, eiusque delere hæreditatem, & claudere orationum laudantium eum, extinguereque gloriam templi & altaris dei. Quod cernimus, proh dolor, multis in locis, demolitis templis & altaribus, conculcatisque sacramentis, omnique cultu posthabito, hæreticos effecisse, imitantes Paulum Samosatenum, de quo scribit Eusebius Cæsariensis, quod antiquis & defunctis tractatoribus insultabat, & illis derogans suas laudes inuerecunde impudenterque iactabat (id quod omnibus hæreticis familiare est) rhetorem se magis quam ecclesiæ doctorē laudari cupiebat. Psalmos qui in dominum nostrum Iesum Christum (cu

Hester. 14

Euf. Cæs.
hist. eccl.
li. 7. ca. 27.

ius diuinitatem ipse negabat asserēs purum eū hominem) dicebantur, cessare fecit, velut neo-
tericos & nuper inuentos. Per semetipsum ve-
ro compositos, diebus pāsche in medio eccle-
siæ canere mulieres, maxime quas ipse prius
ad canēdum pro more instituerat faciebat, ita
vt horresceret si quis audiret. Nam quum ipse
filiū dei negaret descendisse de cœlo, sed a Ma-
ria cœpisse, & initium habuisse de terra, pal-
mi qui in ipsum Paulū dicebātur, & quibus in
populo laudabatur angelum eum dicebant de-
scendisse de cœlo. Et hæc ipse assistens ac audi-
ens, non solum dici nō prohibebat, sed elato su-
percilio delectabatur audire. Hunc per omnia
nostri temporis hæretici imitantur.

¶ At si recte diuinat Apostolus, non profi-
cient vltra homines corrupti mēte, reprobi cir-
ca fidem, insipientia enim eorum manifesta e-
rit omnibus hominibus, sicut & illorum, quos
Paulus enumerat, Iamnes scilicet & Mam-
bres, qui Mosi resisterunt. Vnde Hieronymus
in Hieremiam: Hæreticorum, inquit, vmbra
ad tempus præualent. Et Irenæus libro quar-
to aduersus hæreticos dicit: Hæretici alienum
ignem offerentes ad altare dei, id est, alienas do-
ctrinas, a cœlesti igne comburentur: quemad-
modum Nadab & Abiu. Qui vero exurgunt
contra veritatem & alteros adhortantur aduer-
sus ecclesiam dei, remanent apud inferos vo-
ragine terræ absorpti: quemadmodum circa
Oreb Dathan & Abyron. Qui autem scin-
dunt & separant vnitatem ecclesiæ, eādem cū
Hieroboam pœnam percipient a deo. Cypria.

2. Tim. 3.

Exod. 7.

Irenæus.

Leui. 10.

Nume. 16.

Cyprian.

nusquoque libro quarto epistolarum epistola secunda ad Antonianum de hæreticis dicit: Nescit Nouatianus schismaticos semper inter iniuria sua feruere, incrementa vero habere non posse, nec augere quod illicite coeperint, sed statim cum praua æmulatione deficere. Huc pertinet, quod habet libro 1. epistolæ tertiæ ad Cornelium papam, quum dicit: Manere apud nos debet fidei robur immobile, & stabilis atque inconcussa virtus contra omnes incurfus atque impetus oblatratorum fluctuum. Nec quemquam fidelem & euangelij memorantem, atque Apostoli præmonentis mandata retinentem mouere debet, si quidam in extremis temporibus superbi & contumaces, aut sacerdotum dei hostes, aut de ecclesia dei recedunt, aut contra ecclesiam faciunt, quando tales nunc futuros, & dominus & apostoli eius ante prædixerint. Et addit: Atque hæc est frater vere dementia, non cogitare nec scire, quod mendacia non diu fallant, noctem tam diu esse, quam diu illucescat dies, clarificato autem die & sole oborto luci tenebras & caliginem cedere, & quæ grassabantur per noctem atrocina cessare. Hactenus Cyprianus. Et quia in hac re consuetudo per totum orbem approbata plurimum momenti habet, sicut & in plerisque alijs rebus, ego magis cedendum puto consuetudini, etiam si rationes in diuersam partem non suppeterent, quam contentionibus deseruendum. August. lib. 2. ad inquisitiones Ianuarij, regulam sequendam in his rebus ponit, quæ si omnes amplecterentur, pauci in hac re dissentiret ac litigarent. Hæc saluberrima

Aug. li. 2.
ad inquis.
Ian. ca. 18.

inquit, regula retinenda est, vt quæ nō sunt cōtra fidem, neq; contra bonos mores, & habēt aliquid ad exhortationem vitæ melioris, vbi-
cunq; institui videmus, vel instituta cognosci-
mus, non solum non improbemus, sed etiam
laudando & imitādo sectemur. Rationem ho-
rum verborum reddit libro primo, quum di-
cit: Ipsa quippe mutatio consuetudinis, etiam
quæ adiuuat vtilitate, nouitate perturbat. Qua
propter quæ vtilis nō est, perturbatione infru-
ctuosa, consequenter noxia est.

DE SACRAMENTO
matrimonij. Cap. VI.

Jud. 15.



3. Petri, 2

Æretici ceu Sampsonis vul-
pes caudas habent colligatas,
hoc ē, quotquot sunt, in vno cō-
ueniunt sine, persecutione vi-
delicet ecclesiæ & seductione
fidelium. Ad hunc scopum oēs
tendunt. Capita vero habent diuersa, hoc est,
diuersas perditionis sectas (in quibus quia ma-
le inter se conueniunt, acerrime digladiantur)
introducunt in ecclesiā, instabiles & indoctos
post se trahentes, qui eorum sequuntur luxuri-
as, per quos via veritatis blasphematur. Hoc ē
quod decretalis illa dicit, cuius initium est. In-
ter sollicitudines, de purg. can. Inter sollicitudi-
nes, inquit, nostras, illa debet esse præcipua, vt
capiamus vulpeculas, quæ demoliuntur vineā
domini Sabaoth. Spiritus quidem habēt diuer-
sos, sed caudas inuicem colligatas, quia de va